& laboribus. Quoniam vero perraro hæc occurrunt, immo rariſſime, & vitia quæ recenſui, abuſus redituum, & neglectus divini cultus, & animarum ruinæ frequentiſſime ob oculos ſe ingerunt: idcirco raro, immo rariſſime poſſeſſores plurium pinguium beneficiorum ſecuri in conſcientia ſunt; ſed in graviſſimo æternæ perditionis periculo verſantur, nulla conſuetudine, nulla diſpenſatione ſuffragante.

XI. Obiicies, Epiſcopi habentes plura beneficia, & opulentos reditus, potentes fiunt ad reprimendos hæreticos, & in ordinem redigendos, ad propugnanda Eccleſiæ catholicæ iura. Milites alunt, & maieſtatem præferunt, quæ terrorem incutit. Reſpondeo, Apoſtolos, omneſque Ieſu Chriſti ſervos, non armorum ſtrepitu, non militum catervis, non faſtu pompatico, ſed paupertate, modeſtia, humilitate, ieiuniis, ſobrietate, precibus hæreticorum, & paganorum pervicaciam domaſſe, & animas lucratos fuiſſe. Quæ opponuntur, commenta ſunt ambitionis, pravæque cupiditatis verſuta præſtigia. Aut cælo ergo, aut pluralitati, quando unum ſufficit beneficium, renuntient neceſſum eſt. Obvia & trita ſunt S. Bernardi *Lib. III. ad Eugen. cap.* IV. verba. *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* Luculenta hæc ſunt, & extra controverſiam poſita. Exulant ne propterea diſſipationes velo diſpenſationis tectæ?

XII. Quæſt. III. *Utrum Clericus poſſit duo beneficia compatibilia, quorum quodlibet ſufficiat ſuſtentationi, obtinere?* Reſp. Beneficia incompatibilia ea dicuntur quæ vel reſidentiam diverſam poſtulant, vel quæ in eadem Eccleſiam idem miniſterium, & officium habent: hæc enim mutuo ſe excludunt, & uno obtento, aliud vacat; ut colligitur ex cap. *Litteras* de conceſſ. præbend. Sermo ergo eſt de beneficiis ſimplicibus, quorum unum ſufficiat ad congruam ſuſtentationem. Alii affirmant, alii negant. Sed vera ſententia docet, nullo modo quemquam poſſe duo beneficia retinere: quorum unum ſufficiat ad congruam ſuſtentationem, ſed uno obtento, aliud continuo vacare; ut ſtatuit Tridentinum *ſeſſ.* VII. *cap.* IV. & *ſeſſ.* XXIV. *cap.* XVII.

XIII. Diſputant vero Theologi, & Canoniſtæ, quodnam ſit beneficium illud quod congruæ honeſtæque ſuſtentationi ſufficiat. Salmanticenſes *tr.* XXVIII. *cap.* I. *punct.* 16. §. 5. *n.* 670. varia Auctorum placita referunt. Alii dicunt, illud beneficium congruæ ſuſtentationi ſufficere quo Beneficiarius poteſt alere ſe ipſum, parentes, ſorores, nepotes, filios ſpurios, hoſpites, peregrinos ſuſcipere, & epiſcopalia, aut parochialia onera ſuſtinere. Addunt habendam eſſe rationem nobilitatis, ſcientiæ, & dignitatis. Si hæc omnia vera forent, rarum eſſet beneficium tot abundans reditibus qui dictis oneribus explendis ſufficeret. Filliucius *tr.* XLI. *c.* VII. apud ipſos Salmanticenſes, cum Azorio, & aliis docet, ſat eſſe beneficium reddere fructus ſufficientes, ſi Beneficiarius ſit infimæ ſortis, ad ſuſtentandum ipſum Beneficiarium, coquum, unum famulum, unum equum, & ad conducendam domum habitationi neceſſariam. Si Beneficiarius ſit Licentiatus, vel Doctor, tunc beneficium debet reddere fructus qui ſatis ſint ad alendos duos famulos, coquum, & equum. Si Beneficiarius ſit nobilis, tum poteſt habere tres aut quatuor famulos, duos equos, currum, coquum, & conductorem domeſticum. Si ſit Epiſcopus, poterit ex reditibus Eccleſiæ, demptis ſibi ad victum neceſſariis, duodecim, aut quatuordecim famulos ſuſtentare. Si ſit Cardinalis, ei concedit ſingulis menſibus mille aureos; quorum centum impendat in menſa, centum in famulis minoribus, trecentos in maioribus, centum in ſupellectili, centum in veſtitu pro ſe, & camerariis, centum in veſtiendis paraframariis, centum in ſtabuli impenſis, & centum pro elargiendis eleemoſynis. Si Cardinales ſint Principes, aut nepotes Pontificum, tum eis impertitur pro congrua ſuſtentatione propria, & familiarium mille aureos in hebdomadas ſingulas. Si ſint infra Principes, & ſupra Cardinales alios, ratione nobilitatis, aut antiquitatis, vel gradus, v. g. Vicecancellarii, Camerarii, Vicarii Pontificis, iſtis permittit quingentos aureos in ſingulas hebdomadas. Hæc tradunt huiuſmodi Doctores, inquiunt Salmanticenſes.

XIV. Verum ſancti Eccleſiæ Doctores clamant, hæc eſſe non paupertatis apoſtolicæ, & eccleſiaſticæ modeſtiæ, ſed luxus, pompæ, & faſtus nimii argumenta. Arbitraria commenta hæc ſunt: nec aſſignari præciſa regula poteſt. Beneficiarii omnes altius animo inſculptum habere debent, reditus eccleſiaſticos ſacras eſſe piorum fidelium oblationes Chriſto conſecratas, pauperum patrimonia. Recogitare ſerio debent, ſe eſſe chriſtianæ militiæ duces, & imperatores ſub Chriſto paupere pro domo Dei belligerantes. A Chriſto, ab Apoſtolis, & ſanctiſſimis Epiſcopis, & Cardinalibus, quorum vita & mores in Eccleſia refulgent, normam domeſtici regiminis, & ſobrietatis repetere debent. Mutata utique eſt exterior vivendi diſciplina; ſed talis eſſe ſemper debet, quæ non pugnet cum Eccleſiæ ſpiritu, qui ſemper idem fuit, & eſſe debet, ut cælum obtineatur. Sint Beneficiarii Licentiati, Baccalaurei, Doctores: ſint nobiliſſimi, ſint Principes, Epiſcopi & Cardinales. At, mundi nobilitate, & principatu contemptis, Chriſto pauperi ſeſe conſecrarunt, Chriſti milites, immo Chriſtianæ militiæ præfecti, centuriones, prætores, & duces ſunt, qui præire Chriſtianis, eiſque, & ſemetipſos Chriſto ſupremo Imperatori conformes efficere pro humana imbecillitate debent. Si hæc ſecum ſerio reputaverint, ſcient profecto ita temperare propriæ ſuſtentationis, & domeſticæ œconomiæ confinia, ut pro infelici temporum, & ætatis conditione & dignitatem gradus, & apoſtolicæ vitæ formam componere una valeant. Recenſitæ a nonnullis Caſuiſtæ regulæ ad mundanæ potius ambitionis & faſtus, quam ad evangelicæ moderationis amuſſim exaratæ videntur. Definiri, & præſcribi norma præciſa nequit; ſed quiſque ex indicatis principiis ſibi præſtituere eam expenſarum formam poterit quæ dignitatem ſacram & apoſtolicam deceat, & pauperum, viduarum, ac orphanorum egeſtati levandæ non officiat.

XV. Quæſt. IV. *Quid de penſionibus non impoſitis beneficiis parochialibus dicendum?* Reſp. Supra *c.* II. de penſionibus ſermo fuit. Pauca hic addenda ſunt. Penſionum origo vetuſta. Iſtarum veſtigium habetur in Concilio Chalcedonenſi, in quo conceſſæ fuerunt penſiones Baſiano & Stephano, de Epheſino Epiſcopatu contendentibus. Penſionum uſum probavit quoque S. Gregorius Magnus, qui Agathoni Epiſcopo Liberitano depoſito alimenta ex reditibus Eccleſiæ ſubminiſtrari ſtatuit; ut colligitur ex *Lib. II. epiſt.* III. Illis Clericis dumtaxat primum conceſſæ penſiones fuere qui poſt egregiam Eccleſiæ præſtitam operam, extrema premebantur inopia, & ſua beneficia propter aut ſenectutem, aut infirmitatem deſerere cogebantur. Hæc eſt origo, hæ iuſtiſſimæ concedendæ penſionis cauſæ. Abuſus poſtea, quemadmodum contingere ſolet, invaluit ut Clerici etiam illi obtineant penſiones qui nullum ſervitium Eccleſiæ præſtant. Quæ ſane collationes, & fundatorum, & Pontificum ipſorum intentioni contrariæ ſunt. Pontifices enim, ut alias ſæpe dictum eſt, diſpenſatores, non domini ſunt Eccleſiæ redituum. Quoties ergo Clerici qui non Eccleſiæ, ſed mundo, ſed Magnatibus inſerviunt, in eorum aulis otio diffluunt, aut in terrenis procurationibus occupantur, illorum favore, & patrocinio penſiones commentitiis titulis aſſequuntur; ſubreptitiæ, & obreptitiæ ſunt diſpenſationes illæ, & iniuſte pauperum, viduarum, & Beneficiariorum patrimonia devorant Clerici eiuſmodi. Pontificiæ diſpenſationes, quia ſubreptitiæ, nihil prorſus iiſdem ſuffragantur, ut Patres omnes, & præſertim Bernardus clamat.

XVI. Ad propoſitum quæſitum directe reſpondeo. Innocentii XII. iuſſu anno 1692. vetitum ne parochialia beneficia penſionibus graventur, ut Parochi ſubvenire pauperum, & Eccleſiæ neceſſitatibus valeant: quod decretum a Dataria emanatum refert Gennetus *tract.* I. *de benef. cap.* XII. *quæſt.* V. Plura alia tum de penſionum abuſu, tum de beneficiis dicenda forent. Verum, ſi controverſiæ quæ de regulis Cancellariæ, de beneficiorum extinctione, diviſione, unione agitari ſolent, diſcutere vellem, integrum volumen non ſufficeret. Ceterum pauca quæ perſtrinxi, ſatis ſunt pro communi conſcientiarum regimine.



# LIBER SECUNDUS

## *DE MAGNO MATRIMONII SACRAMENTO.*

## DISSERTATIO PRIMA.

### PRÆLOQUIUM.

HActenus de evangelicæ legis ſacramentis quæ nos ad ſpiritualem, æternamque vitam regenerant, aut regenitos alunt, nutriunt, roborantque. In præſentiarum autem de eo ſacramento inſtituendus nobis ſermo eſt quo ſanctificantur Chriſtiani qui ad propa-

propagandam generis humani ſocietatem deſtinati ſunt. Tanta enim eſt in novo fœdere gratiarum copia, a Chriſto Servatore divino nobis collata, ut voluerit vel ipſam ſobolem a parentibus ſacramenti vinculo iunctis generari. Quemadmodum namque ſacris Ordinibus initiatos Chriſtus Dominus voluit parentes ſpirituales, qui vitam noſtram ſpiritualem pariunt, alunt, & læſam ſanant; ſic ineffabili ſua providentia diſpoſuit ut carnalis ſucceſſionis parentes peculiari, magnoque ſacramento copulati atque ſanctificati eſſent, quo felicius procreare, inſtituere, & regere poſſent ſobolem, quæ cæleſtis regni ſedes impletura eſt. Tractatum hunc implicatiſſimum *Lib. I. cap. XXV. de adulter. coniugiis* ad Pollentium S. Auguſtinus appellat. *Quæſtionem*, inquit, *de coniugiis obſcuriſſimam, & implicatiſſimam eſſe non neſcio. Nec audeo profiteri, omnes ſinus eius vel in hoc opere, vel alio me adhuc explicaſſe, vel iam poſſe, ſi urgeat, explicare.* Obſcurare ex una parte matrimonium errorum caligine heretici, eiuſdem ſanctitatem & pudicitiam fœdare ex altera, opinionum laxitate nonnulli Moraliſtæ pertentarunt. Adverſus utriuſque generis adverſarios pugnandum nobis eſt. Ad maieſtatem, dignitatemque ſacramenti evectum a Chriſto Domino matrimonium contra plurium hæreticorum deliria evincemus: eiuſdem pudica, ſobria, & intaminata officia a quorumdam Caſuiſtarum minus caſtis commentis pro modulo noſtro vindicabimus.

## CAPUT I.

*De matrimonii nomine, & finitione.*

I. CONiunctionem maris cum femina *matrimonium* potius quam patrimonium antiqui appellarunt, quod matris ſit parere, nutrire, educare, & inſtituere teneram ſobolem, atque rem familiarem cuſtodire. Maritus in foro, in officina, in provincia, in Republica augendi patrimonii cauſſa negotiatur, laborat, diſputat. Uxor in bona, mariti induſtria parta & collecta, conſervanda, amplificanda, & cuſtodienda tota incumbit.

II. *Nuptiæ* quoque matrimonium dicitur a nubendo: quia olim velamine, quod flammeum nuncupabatur, puellæ maritis in coniugium tradendæ capita ſua veluti quadam nube tegebant: tum ut oculi, pudoris ſedes, velati, & abſconditi modeſtiam pudoremque manifeſtarent; tum ut venuſtatem & elegantiam, quæ eſſe libidinis incitamentum ſolet, occultarent. Hinc Abimelech Rex Geraræ, cum reſtituit Saram raptam, non ut coniugem, ſed ut germanam Abrahæ ſororem, eidem Saræ *Geneſ. cap. XX.* dixit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt, & quocumque perrexeris: mementoque te deprehenſam.* Quæ verba hunc produnt ſenſum. Viro tuo mille ſiclos donavi, ut tuo, ancillarumque tuarum capitibus tegendis velamina comparetis, ne vultuum venuſtate aliis, quemadmodum mihi, libidinis occaſio ſitis. De hoc velamine mentio quoque habetur *Geneſ. cap. XXIV.* ubi Rebecca, conſpecto Iſaac, *tollens cito pallium ſuum, operuit ſe.* Hoc velamen, quo operta erat Lia, cauſſa deceptionis fuit Iacob, qui eam pro Rachele ſuſcepit. Mos iſte penes ipſos Romanos obtinebat, ut puellæ nuptæ velamine obvolutæ in maritorum domos deducerentur.

III. *Connubium* inſuper dicitur ab eodem verbo *nubo*, quod idem eſt ac *velo*: quia mulieres obducere ſemper, & tegere debent ea omnia quæ modeſtiam & pudorem lædere valent. *Coniugium* etiam nuncupatur a communi iugo, cui ambo mulier, & vir ſubiiciuntur.

IV. Hinc collige, quam ſit vel ipſorum Ethnicorum pudori, & modeſtiæ adverſa hodierna nubentium, & nuptarum conſuetudo, ſeu verius corruptela prodeundi in publicum nudato vultu, & pectore, ac ſi ad nundinandam, proſtituendamque pudicitiam in medium irrumperent. Huc malorum res chriſtianæ devenere, ut mulieres noſtræ procaces, impudenteſque vel in paganarum feminarum conſpectu appareant. Huccine recidit votum illud ſolemne renuntiandi mundi pompis, ut impenſiori ſtudio, & impetu luxum impudicum, & pompas immodeſtas proſequantur? Unde tam monſtroſæ corruptelæ, niſi ex negligentia quorumdam Parochorum, & Confeſſariorum, qui altius inculcare puellis nubendis, feminiſque nuptis ſacros illos pudoris & modeſtiæ canones, intra quos vel ipſæ ethnicæ mulieres continentur, prætermittunt?

V. Matrimonii finitio hæc eſt: *Coniunctio maritalis viri, & feminæ inter legitimas perſonas individuam vitæ conſuetudinem retinens.* Appellatur *coniunctio maritalis*, qua matrimonium diſtinguitur ab aliis coniunctionibus, quales ſunt filiales, aut fraternæ. Dicitur *viri & feminæ* ad excludendam pluralitatem, ſeu polygamiam. Additur *inter legitimas*, ideſt habiles, *perſonas*. Ultimæ particulæ ſignificant perpetuam ſocietatem, quam diſſolvere ſola mors poteſt.



VI. Matrimonium ſub triplici aſpectu conſiderari valet. 1. ut contractus naturalis; 2. ut contractus civilis; 3. ut ſacramentum novæ legis. Contractus naturalis dicitur, quatenus eſt in officium naturæ ad propagationem, atque conſervationem humanæ ſocietatis. Hunc contractum naturalem perficiunt civiles leges, quæ licet pacem & concordiam humani generis foveant, & cuſtodiunt, ita potiori iure mutuam corporum traditionem inter virum & feminam præfinitis ritibus & terminis circumſcribunt & moderantur. Prima enim ſocietas matrimonialis eſt, ex qua oritur domeſtica: & ex hac aſſurgant populorum & civium coniunctiones & fœdera. Quare cum ſocietas inter virum & feminam ſit prima, & aliarum ſocietatum fundamentum, hæc præcipue optimis legibus munienda eſt.

VII. Matrimonium, ut ſacramentum novæ legis eſt, deſcribi hoc pacto ſolet. *Coniunctio maritalis viri & feminæ inter legitimas perſonas, individuam vitæ conſuetudinem retinens, divinitus inſtituta in ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia, habens promiſſionem gratiæ ad uniendos ſimul coniugum animos, & prolem pie ac ſancte educandam in fide chriſtiana.* Quæ deſcriptio ita perſpicua eſt, ut nulla egeat explicatione.

VIII. Tandem matrimonium triplex eſt. Legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum dicitur quod iure gentium, & ad legum civilium normam contrahitur; quale eſt matrimonium etiam infidelium. Ratum eſt illud quod non modo iuxta leges naturales & civiles, ſed etiam ſecundum Eccleſiæ decreta perficitur: dicitur enim ratum, quia ab Eccleſia approbatur. Conſummatum appellatur, quando media carnali copula ambo coniuges commiſcentur.

## CAPUT II.

*In quo ſita ſit matrimonii eſſentia.*

I. EX pluribus coaleſcit matrimonium. 1. in eo occurrit conſenſus mutuus. 2. externa promiſſio. 3. reciproca corporum traditio. 4. vinculum perpetuum inde reſultans. 5. obligatio debiti reddendi mutua. 6. ius, quod uterque in alterum habet. 7. carnalis copula, qua conſummatur matrimonium ipſum

II. Quæſt. I. *An eſſentia matrimonii ſita in copula carnali ſit?* Reſp. Iulianus Pelagianus affirmantem opinionem ſuſtinuit, teſte S. Auguſtino *Lib. V. cap. XVI.* contra eumdem. *Nihil aliud dicis eſſe nuptias quam corporum commixtionem.* Quam opinionem propugnaſſe Wicleffum narrat Thomas Waldenſis *Tom. II. de ſacram. cap.* CXXX. Communis Catholicorum ſententia negat in carnali copula ſitam eſſe matrimonii eſſentiam. Evincunt. Inter Adamum & Evam verum fuit matrimonium ante mutuam commixtionem. Iuncti enim fœdere matrimoniali in paradiſo fuere; & ſolum, poſtquam exularunt e paradiſo, Adamus Evam cognovit, ut habetur *Geneſ. cap.* II. Rurſus verum fuit matrimonium S. Patriarchæ Ioſeph cum B. Virgine, omni prorſus carnali copula excluſa; ut ex Scripturis ſanctis conſtat. Dicitur enim Matth. I. *Cum eſſet deſponſata mater eius Maria Ioſeph:* & ad Ioſephum ibidem intimatur: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam:* & Lucæ *cap.* II. aſſeritur: *Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*

III. Confirmatur hæc veritas SS. Patrum auctoritate. S. Auguſtinus *Lib. I. de nupt. & conc. cap. XI.* ſcribit: *Neque enim fallaciter ab Angelo dictum eſt ad Ioſeph:* Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. *Coniux vocatur ex prima fide deſponſationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus: nec perierat, nec mendax manſerat coniugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat carnis ulla commixtio.* Plurima alia ſimilia habet Auguſtinus *Lib. de ſanct. virg. cap. IV.* & *Lib. de bon. coniug. cap. I.*

IV. S. Ambroſius *Lib. de inſt. virg. cap. VI.* adverſus eos qui commixtos factos ſponſos Ioſephum, & Mariam volebant, hæc ſcribit: *Nec illud moveat quod ait, quia Ioſeph accepit coniugem ſuam: cum enim initiatur coniugium, tunc coniugii nomen adſciſcitur. Non autem defloratio virginitatis facit coniugium, ſed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella, coniugium eſt, non cum virili admixtione cognoſcitur.* S. Ioannes Chryſoſtomus *hom. XXXII. in Matth.* inquit: *Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas.* Alia Patrum teſtimonia prætereo. S. Th. in *Suppl. quæſt. XLIV. art. I. ad I.* ait: *Matrimonium eſt vinculum quo ligantur formaliter, non effective: & ideo non oportet quod ſit aliud a coniunctione.*

V. Hinc patet quam impudenter Calvinus more ſuo calumnietur, dum *Lib. IV. Inſtit. cap. XIX. §. 36.* blateret: *Quam abſurdum*

*ſurdum eſt arcere a ſacramento Sacerdotes! Si arcere a ſacramento negent, ſed a coitus tantum libidine, non ita mihi eludantur. Nam & coitum ipſum partem eſſe ſacramenti tradunt .... In ſacramento conferri gratiam Spiritus ſancti affirmant: coitum tradunt eſſe ſacramentum: in coitu negant unquam Spiritum ſanctum adeſſe.* His putidiſſimis mendaciis excantare miſeram plebem Novatores ſolent.

VI. Quæſt. II. *An mutuus contrahentium conſenſus cauſſa efficiens ſit matrimonii?* Reſp. Affirmat S. Thomas in *Suppl. qu.* xlv. *art.* 1. cui ſubſcribunt communiter Theologi: & ex Scriptura ſancta hoc evidens eſt. Nam *Gen. cap.* xxiv. dicitur: *Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem: cumque vocata veniſſet, ſciſcitati ſunt: Vis ire cum homine iſto? Quæ ait, Vadam.* Eugenius IV. in decreto pro inſtructione Armenorum inquit: *Cauſſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.* Vox illa *regulariter* non afficit mutuum conſenſum, quaſi iſte conſenſus ut plurimum requiratur, non ſemper; ſed ſpectat ultimas particulas, *per verba de præſenti expreſſus:* quia reipſa communiter verbis conſenſus exprimitur; contingere tamen poteſt ut nutibus vel ſignis prodatur. Ratio quoque evidens eſt. In quolibet namque contractu bona unius non tranſeunt in alterius poteſtatem, niſi domini voluntate accedente, aut lege ſuprema imperante. Nulla autem lex cogere ad matrimonium contrahendum valet. Ergo neceſſarius eſt conſenſus reciprocus. Hic autem reciprocus conſenſus aut verbis, aut ſignis præſentibus declarari, & exhiberi poteſt; ut per ſe patet. Conſenſus iſte de præſenti, non de futura coniunctione ſit oportet: quia matrimonium differt a ſponſalibus, de quibus infra.

VII. Quæſt. III. *Quænam ſit cauſſa formalis matrimonii?* Reſp. Theologi matrimonium ſpectant in fieri, ſeu in cauſſa efficiente, de qua modo locuti ſumus, & in facto eſſe. Sub hac poſteriori conſideratione dicunt illius cauſſam formalem eſſe illum nexum perpetuum, reſultantem ex interno mutuo conſenſu exterius expreſſo; ſeu in hoc perpetuo vinculo ſitam eſſe matrimonii, ut officium naturæ eſt, eſſentiam. Cauſſa quippe effectrix rei eſſentiam non conſtituit; & conſenſus explicatus tranſiens eſt ac momentaneus; matrimonium autem firmum ac ſtabile eſt. Ergo eius eſſentia ſita eſt in dicto perpetuo animorum vinculo. Vide S. Thomam in *Suppl. quæſt.* xlv. *art.* 1. Hæc omnia confirmat Catechiſmus Concilii Tridentini *Part. II. cap.* viii. §. 4. his verbis: *Ex his igitur patet matrimonii naturam & rationem in vinculo illo conſiſtere. Nam quod aliæ clariſſimorum virorum definitiones hoc videntur conſenſui tribuere, ut cum dicunt coniugium eſſe conſenſum maris & feminæ; hoc ita accipiendum eſt, conſenſum ipſum matrimonii cauſſam eſſe effectricem; quod Patres in Concilio Florentino docuerunt.* Hæc, quæ de matrimonio, ut officium naturæ eſt, dicta ſunt, accommodari matrimonio, ut ſacramentum eſt, poſſunt. Advertendum tamen, matrimonium non eſſe ſacramentum permanens, ut eſt Euchariſtia, ſed eſſe, quemadmodum baptiſma, ſacramentum tranſiens: unde reſultat nexus ex reciproco conſenſu, & verbis ſimiliter coniuges unientis, ut S. Thomas in *Suppl. quæſt.* xlii. *art.* 3. *ad* 2. docet. *Sicut aqua baptiſmi cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, ſed ad characterem; ita actus exteriores, & verba exprimentia conſenſum directe faciunt nexum quemdam, qui eſt ſacramentum matrimonii. Et huiuſmodi nexus ex virtute divinæ inſtitutionis diſpoſitive operatur ad gratiam.*

VIII. Oppones 1. S. Paulus *cap.* v. *ad Epheſ.* inquit: *Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt. Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Ergo uſus matrimonii ad eius eſſentiam attinet. Reſp. Nego conſequentiam. Nullus contractus uſus eiuſdem ingreditur eſſentiam. Præfata Apoſtoli verba non aliud produnt quam mutuam dominii tranſlationem in utriuſque coniugis corpus. In qua reciproca tranſlatione dominii fundatur ius ad copulam.

IX. Oppones 2. Matrimonium Chriſtianorum ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia. Sed hæc unio non ſignificatur niſi per coniunctionem carnis. Ergo copula carnalis ad eſſentiam attinet matrimonii. Reſp. Secunda propoſitio falſa eſt. Duplex unio Chriſti cum Eccleſia. Altera phyſica, quæ eſt unio hypoſtatica Verbi cum natura humana. Altera eſt per caritatem, & gratiæ influxum: & hanc prodit coniugalis animorum unio, ſeu reciproci amoris, & mutuæ benevolentiæ ſocietas perpetua. Nec eſt quod inſiſtas, hinc conſequi, fratrem & ſororem, item impotentes contrahere matrimonium poſſe, ſi hoc in mutua animorum coniunctione ſitum eſt. Quandoquidem matrimonium ius ad copulam præbet, quod ius vel fratri in ſororem, vel impotenti repugnat. Abſque

hoc



hoc mutuo iure vir & mulier inire matrimonium nequeunt; quamquam uſui ipſius iuris mutuo renuntiare coniuges valeant. Obtrudi etiam ſolent duo teſtimonia: alterum Auguſtini relatum a Gratiano xxvii. *quæſt. cap.* xvi. alterum Leonis relatum *cap.* xvii. Sed ambo perperam refert Gratianus. Primum enim non habetur in Auguſtino, qui perſpicue noſtram communem ſententiam docet. Alterum S. Leonis adulteratum eſt.

## CAPUT III.

*De honeſtate & inſtitutione matrimonii.*

I. QUæſt. I. *An matrimonium ſit bonum & honeſtum?* Reſp. Encratitæ, Marcionitæ, Manichæi, Priſcillianiſtæ honeſtum bonumque eſſe matrimonium pernegarunt. Manichæi non Deo vero, ſed tenebrarum Principi matrimonii inſtitutionem tribuebant. Pelagiani e contrario, peccatum originale inficiantes, ita exaltabant nuptias, ut concupiſcentiam ipſam, ſine qua earum officium non impletur, bonam affirmaverint. Iovinianus nuptias virginitati in merito & ſanctitate præferebat, ut *Lib. III. de peccat. mer. & remiſ. cap.* vii. narrat S. Auguſtinus, inquiens: *Ante paucos annos Romæ quidam extitit Iovinianus, qui ſanctimonialibus, etiam ætate iam provectioribus, nuptias perſuaſiſſe dicitur.* Hunc Patriarcham ſecuti ſunt Lutherus, & Calvinus. Quin Lutherus, Ioviniano impudentior, virgines Deo dicatas in apoſtaſiam pertraxit.

II. De fide eſt, matrimonium honeſtum, bonum, licitumque eſſe; ut ex manifeſtis Scripturæ teſtimoniis patet. S. Paulus *I. Cor.* vii. inquit: *Qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit.* Rurſus Hebræorum xiii. *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus.* Hanc catholicam veritatem S. Thomas in *Suppl. quæſt.* xli. *art.* 3. confirmat, & Manichæorum inſaniam refutat. Nam finis matrimonii, qualis eſt conſervatio & propagatio humani generis, honeſtus & bonus eſt. Ergo matrimonium, quod eſt ad hunc finem neceſſarium, bonum & ſanctum eſt. Quis mirari ſatis poteſt dementiam Manichæorum, Marcionitarum, & aliorum matrimonium damnantium? Nam quo alio medio conſiſtere genus humanum poſſet? Semetipſos ergo damnent Manichæi neceſſum eſt, dum matrimonium damnant.

III. Oppones. S. Paulus *I. Cor.* vii. matrimonium concedit *ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Rurſus *Rom.* viii. inquit: *Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Reſp. Apoſtolus ex indulgentia matrimonium concedit propter incontinentiam exercitam; ut S. Auguſtinus *Lib. de bono coniugali cap.* x. interpretatur, inquiens: *Non nuptias, ſed illum concubitum ſecundum veniam concedit qui fit per incontinentiam, non ſola cauſſa procreandi, ſed aliquando nulla cauſſa procreandi; quem nuptiæ non fieri cogunt, ſed ignoſci impetrant.* Quod ſecundo obtrudunt, coniuges pudere exercitii matrimonialis, nullius momenti eſt. Pudet quippe illos concupiſcentiæ, quæ actum matrimonialem comitatur, quæque eſt peccati pœna, non peccatum. In ſtatu innocentiæ illos minime puduiſſet matrimonium, non ſecus ac manducare, publice exercere. Homines non peccati modo, verum etiam naturalium defectuum pudet.

IV. Quæſt. II. *An matrimonium ſit naturali, divinoque iure inſtitutum?* Reſp. A naturæ lege ſuam arceſſere originem matrimonium, evincit S. Thomas, in *Suppl. quæſt.* xli. *art.* 1. quia natura ſana & integra fertur ſeipſa in generationem prolis, nutritionem, & conſervationem. Hæc autem obtineri abſque indiſſolubili vinculo coniugum nullo modo poſſunt, ut *loc. cit.* oſtendit S. Thomas, inquiens: *Alio modo dicitur naturale ad quod natura inclinat, ſed mediante libero arbitrio completur: ſicut actus virtutum, vel virtutes dicuntur naturales: & hoc modo matrimonium eſt naturale: quia ratio naturalis ad ipſum inclinat dupliciter. Primo quantum ad principalem eius finem, qui eſt bonum prolis. Non enim intendit natura ſolum generationem prolis, ſed traductionem, & promotionem uſque ad perfectum ſtatum hominis, inquantum homo eſt, qui eſt virtutis ſtatus. Unde ſecundum Phil. .... tria a parentibus habemus, ſcilicet eſſe, nutrimentum, & diſciplinam. Filius autem a patre educari, & inſtrui non poſſet, niſi determinatos, & certos parentes haberet: quod non eſſet, niſi eſſet aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam; quæ matrimonium facit. Secundo quantum ad ſecundarium finem matrimonii, qui eſt mutuum obſequium ſibi a coniugibus in rebus domeſticis impenſum. Sicut enim naturalis ratio dictat ut homines ſimul cohabitent: quia unus non ſufficit ſibi in omnibus quæ ad ipſam vitam pertinent, ratione cuius dicitur homo naturaliter politicus: ita etiam eorum quibus indigetur ad humanam vitam, quædam opera ſunt competentia viris, quædam mulieribus.*

*ribus. Unde natura monet ut ſit quædam aſſociatio viri ad mulierem, in qua eſt matrimonium. Et has duas cauſſas ponit Philoſ. in VII. Ethic.*

V. Hanc naturæ legem de matrimonio contrahendo, tum in veteri, tum in novo fœdere Deus confirmavit. Adamo creato, Deus *Geneſ.* II. dixit: *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. .. Creſcite, multiplicamini, & replete terram.*

VI. Opponeſ. S. Ioannes Chryſoſtomus *homil.* XVIII. *in Gen.* S. Auguſtinus *Lib. I. de Geneſi* contra Manichæos *cap.* XIX. & Damaſcenus *Lib. II. de fide orthod. cap.* XXX. negant, Adamum innocentem, & Evam matrimonium iniiſſe, vel inituros, ſi in gratia perſeveraſſent; multiplicandumque fuiſſe docent humanum genus alio nobis incognito modo. Reſp. Hanc opinionem propugnarant Patres illi. Sed S. Auguſtinus *Lib. I. Retract. cap.* X. *& ſeq.* & iterum *Lib. XIV. de civit. Dei cap.* XXI. *& ſeq.* eam retractavit, communemque doctrinam amplexus eſt. Inſiſtes. Animalia diverſi ſexus coniunguntur, & propagantur abſque matrimonio. Reſpondet S. Thomas *loc. cit. ad* I. inquiens: *Sicut natura generis, quamvis ſit una in omnibus animalibus, non tamen eodem modo eſt in omnibus; ita non inclinat eodem modo in omnibus, ſed ſecundum quod unicuique competit. Ad matrimonium vero inclinat natura hominis ex parte differentiæ, quantum ad rationem ſecundam aſſignatam .... Quædam animalia ſunt quorum filii nati ſtatim poſſunt ſufficienter ſibi victum quærere, vel ad quorum ſuſtentationem mater ſufficit: & in his non eſt aliqua maris ad feminam determinatio. In illis autem quorum filii indigent utriuſque ſuſtentatione, ſed ad parvum tempus, invenitur aliqua determinatio quantum ad illud tempus; ſicut in avibus quibuſdam patet. Sed in homine, quia indiget filius cura parentum uſque ad magnum tempus, eſt maxima determinatio maſculi ad feminam.* Omnia hæc perſpicua ſunt & comperta.

VII. Quæſt. III. *An præceptum impoſitum ſit matrimonii contrahendi?* Reſp. Hanc quæſtionem mira perſpicuitate S. Thomas in *Suppl. quæſt.* XLI. *art.* 2. reſolvit inquiens: *Dicendum, quod natura inclinat ad aliquid dupliciter. Uno modo ſicut ad id quod eſt neceſſarium ad perfectionem unius: & talis inclinatio quemlibet obligat: quia naturales perfectiones omnibus ſunt communes. Alio modo inclinat ad aliquid quod eſt neceſſarium ad perfectionem multitudinis: & cum multa ſint huiuſmodi, quorum unum impedit aliud, ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti: alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam, & ædificatoriam, & ad huiuſmodi officia, quæ ſunt neceſſaria communitati humanæ: ſed inclinationi naturæ ſatisfit, cum per diverſos diverſa de prædictis complentur. Cum ergo ad perfectionem humanæ multitudinis ſit neceſſarium aliquos contemplativæ vitæ inſervire, quæ maxime per matrimonium impeditur, inclinatio naturæ ad matrimonium non obligat per modum præcepti, etiam ſecundum Philoſophos. Unde Theophraſtus probat, quod ſapienti non expedit nubere.*

VIII. Hoc itaque præceptum multitudinem, non ſingulos homines obſtringit. Sub initium humani generis ſingulos obligabat: quia tunc, niſi ſinguli matrimonium iniiſſent, non fuiſſet ſatis communitati proviſum ob hominum paucitatem. Similiter poſt diluvium ſingulos obſtringebat. Multiplicato humano genere, ſicut quilibet liber ab agricultura, a mercatura manet, ita a matrimonio contrahendo. Nec eſt quod cum Vigilantio reponas: Si ſinguli liberi ſunt a præcepto matrimonii contrahendi, interibit humanum genus. Nam rara eſt virtus, nec a pluribus appetitur, inquit Hieronymus contra eumdem Vigilantium. Et Salvator noſter *Matth.* ait cælibatum eſſe ſingulare donum Dei. *Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.*

## CAPUT IV.

*De inſtitutione matrimonii in ſacramentum.*

I. Diſputant Theologi de inſtitutione matrimonii in ſacramentum ante, & poſt Chriſti adventum. Alphonſus a Caſtro *Lib. XI. adver. hæreſ.* verb. *Nuptiæ*, Petrus Soto de matrimonio *lect.* II. Ambroſius Catharinus *opuſc. de matrim.* ſuſtinent, matrimonium in lege naturæ, & ſcripta fuiſſe verum ſacramentum. Maldonatus *de matrimonio* ad 4. argumentum ait, *hanc eſſe opinionem omnium antiquorum auctorum.* Launoius *Lib. de regia poteſtate in matrim. part.* I. *art.* 2. *cap.* II. eamdem defendit opinionem, quia primario ſuo inſtituto faventem.

II. Quæſt. I. *Ante adventum Chriſti matrimonium fuit ne vere & proprie ſacramentum?* Reſp. In duplici ſignificatu ſacramenti nomen uſurpatur. 1. In ſenſu latiore & improprio, quatenus cuiuslibet rei ſacræ ſignum ſacramentum lato modo dicitur. 2. In ſenſu ſtricto & proprio, quatenus ſignum practicum, & efficax gratiæ ſanctificantis, vere & proprie ſacramentum eſt.



III. Communis Theologorum ſententia negat, matrimonium ante adventum Chriſti fuiſſe verum ſacramentum; concedit vero in latiori quodam ſignificatu. Et ut ab hac ſecunda parte initium capiam, matrimonium in ipſo innocentiæ ſtatu inſtitutum ſignum fuit coniunctionis Chriſti cum Eccleſia; ut ex *Gen. cap.* II. colligitur. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea .... Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.* In quæ verba hæc Tertullianus *Lib. de anima cap.* XI. inquit: *Adam ſtatim prophetavit magnum illud ſacramentum in Chriſtum, & Eccleſiam, dicens: Hoc nunc os ex oſſibus meis.* S. Hieronymus in *cap.* V. *ad Epheſ.* ſcribit: *Primus homo, & primus vates Adam hic de Chriſto, & de Eccleſia prophetavit.* S. Auguſtinus *Lib. IX. de Gen. ad litteram cap.* XIX. hæc habet. *Evigilans Adamus ex extaſi, tamquam prophetia plenus, cum ad ſe adductam coſtam mulierem ſuam videret, eructavit continuo, quod magnum ſacramentum commendat Apoſtolus: Hoc nunc os ex oſſibus meis.* Quæ omnia id tantum evincunt, matrimonium, in ſtatu innocentiæ, in lege naturæ, & ſcripta fuiſſe in latiore quodam ſignificatu ſacramentum; ut Catechiſmus Concilii Tridentini *II. Part. cap.* VIII. §. 18. clare explicat. *Sed quia matrimonii ſacramentum illis matrimoniis præſtet quæ ante, vel poſt legem iniri ſolebant, ex eo licet cognoſcere, quod etſi gentes matrimonio divini aliquid ineſſe arbitrabantur, atque ob eam rem vagos concubitus a naturæ lege alienos eſſe, itemque ſtupra, adulteria, & alia libidinis genera vitanda eſſe iudicabant; tamen eorum connubia nullam prorſus ſacramenti vim habuerunt.*

*Apud Iudæos vero religioſius omnino nuptiarum leges ſervari conſueverant: neque dubitandum, quin eorum matrimonia maiori ſanctitate prædita eſſent. Cum enim promiſſionem accepiſſent, fore aliquando ut omnes gentes in ſemine Abrahæ benedicerentur, magnum apud eos pietatis officium merito eſſe videbatur filios procreare: & electi populi ſobolem, ex qua Chriſtus Dominus Salvator noſter, quoad humanam naturam attinet, ortum habiturus eſſet, propagare: ſed illæ coniunctiones vera ſacramenti ratione caruerunt.* Vera ſacramenti ratione caruerunt; aliqua tamen ſacramenti ſignificatione prædita fuere.

IV. Quæſt. II. *Matrimonium in lege evangelica eſt ne vere & proprie ſacramentum?* Reſp. Negant Ioannes Hus, Lutherus, & Calvinus, qui *Lib. IV. Inſt. cap.* XIX. §. 34. ſequentia evomit. *Matrimonium, quod et a Deo inſtitutum fatentur omnes, ita pro ſacramento datum nemo uſque ad Gregorii tempora viderat. Et cui umquam ſobrio in mentem veniſſet? Ordinatio Dei bona eſt & ſancta: & agricultura, architectura, ſutrina, tonſtrina, ordinationes ſunt Dei legitimæ, nec tamen ſacramenta ſunt ... Quis ferat iſtos Sophiſtas tam inſcite garrientes?* Item §. 35. *Verba tamen obtrudunt, quibus ſacramenti nomen matrimonio attribui dicunt ... Myſterium dixerat Paulus: quam dictionem quum relinquere poſſet interpretes, latinis auribus non aſſuefactam, vel arcanum vertere; ſacramentum ponere maluit, non tamen alio ſenſu quam græce a Paulo myſterium dictum erat. Eant nunc, & linguarum peritiam clamoſe inſectentur, quarum ignorantia in re facili, & cuivis obvia tamdiu fœdiſſime hallucinati ſunt.* Tandem concludit §. 37. *Ac ne ſimpliciter Eccleſiam luderent, quam longam errorum, mendaciorum, fraudum, nequitiarum ſeriem uni errori attexuerunt; ut dicas, nihil aliud quam abominationem latebram quæſiviſſe, dum e matrimonio ſacramentum fecerunt. Ubi enim id ſemel obtinuere, coniugalium cauſſarum cognitionem ad ſe traxerunt: quippe res ſpiritualis erat, profanis iudicibus non attrectanda. Tum leges ſanxerunt, quibus tyrannidem ſuam firmarunt, ſed partim in Deum manifeſte impias, partim in homines nequiſſimas ... At ex eorum cœno aliquando emergendum eſt, in quo iam diutius hæſit oratio quam animus ferebat. Aliquantulum tamen mihi profeciſſe videor, quod leonis pellem iſtis aſinis quadam ex parte detraxi.*

V. Hæc, licet paullulum prolixa, reſcribere libuit, ut palam ſiat ſemper Calvinum adverſus Eccleſiam catholicam, unde perduellis apoſtata deſcivit, eodem cacœthe tantorum furere, debacchari, inſanire. Aſinos appellat omnes Eccleſiæ Patres, quia S. Gregorio, ipſo fatente, ad ſua uſque tempora matrimonium ut ſacramentum ſaſti ſunt. Non aliunde melius quam ex eius ſcribendi ratione revinci Calvini inſania poteſt. Sed, miſſis blateronis Calvini mortalium omnium impudentiſſimi dicteriis, catholica veritas demonſtranda eſt, atque confirmanda.

VI. De fide eſt, matrimonium eſſe verum novæ legis ſacramentum. S. Paulus *Epheſ.* V. inquit: *Propter hoc relinquet homo patrem & ma-*

*& matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Matrimonium igitur eſt ſacrum unionis Chriſti cum Eccleſia ſymbolum. Quod obtrudit Calvinus, a S. Paulo myſterium appellari matrimonium, ut ſignificet non coniunctionem Adæ cum Eva, ſed unionem Chriſti cum Eccleſia, quod magnum utique myſterium eſt, merum eſt illius delirium. Siquidem non negamus, immo fatemur, matrimonium repræſentare unionem Chriſti cum Eccleſia; at ſimul addimus præter iſtam obiectivam repræſentationem, aliam matrimonio ineſſe practicam, quæ ſignificat, unaque producit gratiam animorum conciliatricem. Tria enim ad veri ſacramenti rationem requiruntur: 1. ut ſit ſenſibile rei ſacræ ſignum; 2. ut ſit a Chriſto inſtitutum; 3. ut gratiam ſanctificantem producat. Porro tria hæc matrimonio inſunt. Eſt enim rei ſacræ ſignum ſenſibile: coniunctio enim coniugalis, vi cuius relinquere patrem & matrem vir debet, ut uxori adhæreat ſuæ, ſane quid ſenſibile eſt. Quod autem ſit rei ſacræ ſignum, teſtatur Apoſtolus: *Sacramentum hoc* (græce *myſterium hoc*: pro eodem enim myſterium & ſacramentum uſurpatur, quidquid fabuletur Calvinus) *magnum eſt*; nexus ſcilicet coniugalis. Pronomen *hoc*, quo Apoſtolus utitur, demonſtrat rem de qua agitur. Agit autem Apoſtolus de Chriſtianorum matrimonio. Hoc ergo magnum myſterium ſeu ſacramentum eſt, non præciſe ut eſt nexus viri & mulieris, ſed quatenus ſignificat unionem Filii Dei cum Eccleſia. Hinc patet quam ridendus ſit Eraſmus, effutiens unionem viri & mulieris nullum præferre myſterium, cum ſimilis nexus cernatur in beſtiis. Numquid de nexu beſtiarum Apoſtolus loquitur, inquiens: *Ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia?* Ea igitur omnia inſunt matrimonio quæ ad veri ſacramenti rationem requiruntur.

VII. Verum ut evidentius pateat impudentia Novatorum, & præſertim Calvini, negantis ante S. Gregorium pro ſacramento habitum matrimonium eſſe, traditionis apoſtolicæ monumenta promamus in medium.

VIII. S. Ignatius, apoſtolicæ ætatis Scriptor, *epiſt.* ad Polycarpum inquit: *Decet ut ſponſi, & ſponſæ de ſententia Epiſcopi coniugium faciant, quo nuptiæ ſint ſecundum Dominum, & non ſecundum cupiditatem.*

IX. Tertullianus, qui ſecundo & tertio ſæculo floruit, *Lib. II.* ad uxorem inquit: *Unde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet?* Secundo itaque Eccleſiæ ſæculo matrimonium, quemadmodum nunc, celebrabatur coram Sacerdote inter Miſſarum ſolemnia, & ſacerdotali benedictione obſignabatur. Porro Tertullianus non novam, ſed vetuſtam narrat diſciplinam ab Apoſtolis ortam.

X. Concilium Carthaginenſe IV. an. 398. celebratum, cui adfuit S. Auguſtinus, hæc ſtatuit can. XIII. *Sponſus, & ſponſa, cum benedicendi ſunt a Sacerdote, a parentibus ſuis, vel paranymphis offerantur: qui cum benedictionem acceperint, pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant prima ſcilicet nocte.*

XI. S. Ambroſius, qui ſæculo IV. floruit, epiſt. XIX. ad Vigilium inquit: *Cum ipſum coniugium velamine ſacerdotali, & benedictione ſanctificari oporteat, quomodo poteſt coniugium dici, ubi non eſt fidei concordia?*

XII. Siricius Papa, Ambroſio ſuppar, *epiſt.* ad Himerium *cap.* IV. hæc ſcribit: *Illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cuiuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.*

XIII. S. Ioannes Chryſoſtomus *hom.* LVI. in Geneſim aſſerit: *Sacramentum ſunt nuptiæ, & imago dilectionis Chriſti, quam erga Eccleſiam declaravit.*

XIV. Innocentius I. qui ſæculo V. vixit, *epiſt.* IX. ad Probum ait: *Statuimus, fide catholica ſuffragante, illud eſſe coniugium quod primitus erat divina gratia fundatum.*

XV. S. Auguſtinus eodem V. ſæculo *Lib. de bono coniugali cap.* XIV. hæc habet. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in cauſſa generandi eſt, & in fide caſtitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in ſanctitate ſacramenti; per quam nefas eſt, etiam repudio diſcedentem alteri nubere.* Rurſus *Lib. de fide & bon. oper. cap.* VII. ſubdit: *In civitate Domini, in monte ſancto eius, hoc eſt in Eccleſia, nuptiarum non ſolum vinculum, ſed etiam ſacramentum commendatur.*

XVI. S. Cyrillus Alexandrinus, Auguſtino æqualis, *epiſt.* ad Neſtorium hæc docet. *Hac ipſa de cauſſa, quod noſtræ quoque ſubſtantiæ ortum ſua benedictione cumularet, ſimul cum ſanctis Apoſtolis ad nuptias in Cana Galilææ vocatum, huc ſe contuliſſe, ſuaque benedictione eaſdem diſpenſatione cohoneſtaſſe dicimus.* Et commentar. in Ioannem *Lib. II.* inquit: *Ipſe invitatus venit* (ad nuptias)





*ut generationis humanæ principium ſanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet.*

XVII. Hæc conſtans & univerſalis Eccleſiæ traditio ante S. Gregorium, fabulatorem & impoſtorem Calvinum evincit, qui ab hoc Pontifice evectum ad ſacramenti dignitatem matrimonium blaterat. Non eſt quod teſtimonia Patrum poſterioris temporis referam, cum illa nec ipſi Novatores revocare in controverſiam audeant: adeo ſunt luculenta.

XVIII. Opponunt 1. Novatores. Sacramenta novæ legis id quod ſignificant, efficiunt. Matrimonium ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, quam non producit. Ergo non eſt ſacramentum. Reſp. Matrimonium ſpeculative ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, ſicut baptiſmus ſepulturam, & reſurrectionem Chriſti: idcirco hæc non producuntur. At matrimonium ita repræſentat Chriſti unionem cum Eccleſia, ut ſimul practice ſignificet producatque gratiam, qua coniuges, reciproco dilectionis fœdere copulati, ſint vera præfatæ unionis imago, mutuoque amore ſe proſequantur; quemadmodum Chriſtus dilexit Eccleſiam, & Eccleſia Chriſtum.

XIX. Obiiciunt 2. Uſus coniugii pars eſt ſacramenti: ergo gratiam confert. Abſurdum autem eſt, inquit Calvinus, coitum gratiam producere. Reſp. Negatur coitum eſſe ſacramenti partem; ſed eſt illius officium. Sacramentum gratiam efficit, qua officium illud intra pudoris, modeſtiæ, & caſtimoniæ chriſtianæ limites exerceatur. Inſiſtunt. Tria diſtinguunt Theologi in quolibet ſacramento, nempe ſacramentum tantum, rem ſacramenti, & rem atque ſacramentum ſimul. Tria hæc non reperiuntur in matrimonio. Reſpondetur, actus contrahentium eſſe ſacramentum tantum. Gratia eſt res ſacramenti. Vinculum, ſeu nexus perpetuus, ex mutuo conſenſu reſultans, eſt ſacramentum, & res ſimul.

XX. Obiiciunt 3. Unum ſacramentum non pugnat cum alio ſacramento. Sed matrimonium pugnat cum ſacramento Ordinis. Ergo non eſt ſacramentum. Reſpond. Negatur, matrimonium pugnare cum ſacramento Ordinis; ſed ſtatus uxorati pugnat cum ſtatu ſacerdotali. Qui Ordines ſacros ſuſcipiunt, inhabiles ſe reddunt ad matrimonium contrahendum. Accedit quod uxoratus, conſentiente coniuge, poſſit Ordines ſacros ſuſcipere, perſiſtente vinculo coniugali.

XXI. Obiiciunt 4. Quodlibet ſacramentum conſtat materia, & forma; ac eiuſdem miniſter deſignatus eſt. Hæc autem deſignari in matrimonio nequeunt. Reſpond. Hæc omnia, licet modo diverſo, Theologi aſſignant. Nam materia ſunt actus contrahentium, forma verba prolata a Sacerdote, & miniſter Sacerdos ipſe: quamquam alii velint ipſos contrahentes eſſe miniſtros, de quo infra.

XXII. Obiiciunt 5. Magiſter ſententiarum, Durandus, Iacobus de Vitriaco, & alii catholici Theologi negant matrimonium eſſe ſacramentum. Reſp. Etiamſi verum eſſet quod Novatores obtrudunt, non propterea quidquam detrimenti accederet Catholicorum dogmati; quod non privatorum quorumdam iudicio, ſed divinis Scripturis, SS. Patrum, & communi Conciliorum traditione nititur. Ceterum vel citati, quos opponunt, Theologi matrimonium eſſe ſacramentum affirmant, quamvis in explicanda hac veritate a communi doctrina recedant, & in aliquos lapſi ſint errores.

XXIII. Obiiciunt 6. Nequit ex Scripturis demonſtrari, quandonam Chriſtus hoc ſacramentum inſtituerit. Ergo arbitrarium eſt. Reſp. Quid, ſi antecedens etiam concedatur? Numquid certo oſtendere Novatores poſſunt, quandonam Chriſtus baptiſma inſtituerit? Negabunt ne propterea baptiſma? Verum ex communi SS. Patrum doctrina colligitur, Chriſtum ad ſacramenti dignitatem matrimonium extuliſſe, cum ſua præſentia in Cana nuptias honeſtavit, eiſque benedixit.

XXIV. Quæſt. III. *An quodlibet fidelium matrimonium ſit ſacramentum?* Reſp. Omnes fideles obſtringuntur ita celebrare matrimonium, ut ſit verum ſacramentum: & hoc præſtant, dum matrimonium contrahunt iuxta ritus ab Eccleſia præſcriptos. Ceterum ſi Eccleſiæ ritus negligant, matrimonium quidem contrahunt validum, ratum, perpetuum, & indiſſolubile fœdus inducens; ſecus ut ſacramentum. Oppoſitam ſententiam defendit P. Thomas Sanchez *Lib. de matrimon. diſput.* X. *n.* 6. & plures alii. Quia, inquiunt, in poteſtate hominis haud eſt, rationem ſacramenti ſeparare a matrimonio, quod ex Chriſti inſtitutione ſacramentum eſt. Quæ ratio infirma omnino eſt. Utique in poteſtate hominis minime eſt efficere ut matrimonium, iuxta Eccleſiæ leges rite celebratum, non ſit ſacramentum. At in poteſtate hominis eſt matrimonium celebrare, neglectis Eccleſiæ, & inſtitutionis divinæ ritibus, qui neceſſario ſervari debent, ut matrimonium ſit ſacramentum. Poteſt igitur etiam inter Chriſtianos ſeparari in matrimonio ratio contractus naturalis, & civilis a ratione ſacramenti.

Chriſtiani tamen ſub gravi culpa ita celebrare matrimonium tenentur, ut ſit ſimul ſacramentum.

XXV. Quæſt. IV. *An matrimonium inter fideles abſentes per procuratorem celebratum ſit verum ſacramentum?* Reſp. Mos obtinet inter Chriſtianos matrimonium celebrandi per procuratorem. Iure canonico ſequentes conditiones præſcribuntur ſervandæ a procuratoribus 1. ut procurator ſpeciale mandatum habeat ad matrimonium contrahendum. 2. ut procurator ſeipſo hoc impleat officium. 3. ut facultas data procuratori non ſit tempore quo contrahit alterius nomine, revocata. 4. ut facultas data ſit determinata cum certa perſona. 5. ut procurator non excedat mandati limites. 6. ut procurator contrahat matrimonium iuxta leges a Synodo Tridentina præſcriptas.

XXVI. Super propoſita quæſtione duplex occurrit ſententia. Prima affirmat eſſe verum ſacramentum, quam defendunt Dominicus Soto, Iſambertus, Cardinalis Gotti, Turnely, & alii plures. Negantem ſententiam defendunt Caietanus *Tom. I. Opuſc.* Franciſcus Victoria *qu.* ccliv. Canus *Lib. VIII. cap. v.* Sylvius in *quæſt.* xlıv, *Suppl. artic.* 1. Vanroy *cap. ultim. quæſt.* 111. Catharinus *Lib. V. cap.* 111. Hæc ſecunda ſententia mihi eſt probabilior. Nullum quippe ſacramentum inter abſentes celebratur. Nec minus præſentes contrahentes requirunt hæc verba, *Ego vos coniungo*, quam præſentem pœnitentem poſtulent hæc alia, *Ego te abſolvo*. Atqui opinio quæ olim defendebat, hæc ultima verba proferri poſſe in pœnitentem abſentem, damnata a Clemente VIII. eſt. Reſpondet Turnely, non eſſe contra naturam ſacramenti pœnitentiæ, ut inter abſentem miniſtrum & pœnitentem perficiatur: adeoque valeret abſolutio abſenti data, niſi obſtaret Eccleſiæ prohibitio, quæ poteſt inhabiles declarare & Sacerdotes ad abſolvendum, & pœnitentes ad recipiendam abſolutionem, niſi ſint præſentes. Hactenus Turnely *de matrimon. quæſt.* 1. *artic.* 2. *pag.* 43. Hæc reſponſio nimis eſt arbitraria. Hoc quippe pacto ratiocinabantur plures Theologi ante Clementem VIII. qui illorum proſcripſit opinionem. Cur damnavit Eccleſiam uſum abſolutionis datæ abſenti? Quia voluit declarare inhabiles pœnitentes abſentes ad abſolutionem. Sed cur ita voluit? An ex arbitrio Eccleſia ſuas definitiones pronunciat? Proſcripſit talem opinionem, quia iudicavit hæc verba, *Ego te abſolvo*, poſtulare pœnitentem præſentem; quemadmodum illorum reipſa obvius & naturalis ſenſus hanc præſentiam ſupponit. Validum itaque eſt in ratione contractus naturalis & civilis matrimonium initum inter abſentes per procuratorem; ut omnes fatentur. At verum ſacramentum non eſſe; mihi eſt probabilius. Hinc eſt quod principales contrahentes conſenſum per procuratores datum renovant coram Parocho, qui ſuper eos profert hæc verba: *Ego coniungo vos in matrimonium*.

XXVII. Diſputant ſimiliter Theologi, utrum, ſi mandans poſt traditam facultatem procuratori in dementiam incideret, validum eſſet coniugium. Affirmant P. Thomas Sanchez *Lib. II. de matrimon. diſput.* xı. *num.* 12. Negat Pontius *Lib. II. de matrimon. cap.* xv. *numer.* 14. Hæc ſecunda opinio mihi probabilior videtur; ſed tanti non eſt, ut eam diſcutiam.

XXVIII. Quæſt. V. *An in lege evangelica matrimonium infidelium inter ſe ſit ſacramentum?* Reſp. Matrimonium infidelium inter ſe validum quidem eſt ut contractus naturalis; at ſacramentum non eſt, ut docet S. Thom. *Suppl. q.* lıv. *artic.* 2. *ad* 1. cui Theologi communiter ſubſcribunt. Qui enim baptiſmo carent, nullius ſunt ſacramenti capaces.

XXIX. Quæſt. VI. *An matrimonium fidelis cum infideli ſit ſacramentum?* Reſp. Iam a multis ſeculis cultus diſparitas impedimentum dirimens eſt. Diſputatur dumtaxat in hypotheſi alicuius diſpenſationis ab Eccleſia datæ. Catharinus, & Dominicus Soto exiſtimant matrimonium fidelis cum infideli ſacramentum eſſe, ſaltem ex parte coniugis fidelis. Mihi probabilior eſt opinio negans. Quoniam, ut matrimonium ſit validum in ratione contractus, requirit utriuſque coniugis mutuum conſenſum. Ergo, ut ſit ſacramentum, ſimiliter utriuſque poſtulat intentionem & conſenſum. Matrimonium enim unum eſt ſacramentum, non duo. Neque ſacramentum dimidiatum eſt, ſed integrum. Ergo quando in uno deficit intentio ſuſcipiendi ſacramentum, intentio alterius minime ſufficit. Sicut enim matrimonium eſt unicum mutuum vinculum, unus contractus, ita unum eſt ſacramentum.

XXX. Quæſt. VII. *Utrum ſi infideles coniuges convertantur ad fidem, matrimonium in infidelitate contractum evadat ſacramentum?* Reſp. Affirmant plures; ſed negantem opinionem probabiliorem exiſtimo; quia poſterior intentio non poteſt efficere ut contractus initus, qui non fuit ſacramentum, poſtea tale evadat.





XXXI. Prioribus quinque ſeculis toleravit Eccleſia, ut legitima matrimonia fidelium cum infidelibus, & catechumenis, quando nullum aderat ſubverſionis periculum. Hoc pluribus exemplis patet. Nam mater Timothei fidelis erat, ut colligitur *II. ad Timoth.* 1. pater vero gentilis, ut narrat Lucas *Act.* xvı. Cecilia virgo Romana Valeriano infideli ſponſo nupſit, S. Monica S. Auguſtini mater maritum duxit infidelem. Clotildis chriſtiana in matrimonium ducta eſt a Clodoveo Francorum Rege ethnico. Plura alia ſuppetunt exempla.

XXXII. Abſolute tamen & generatim prohibuit Eccleſia matrimonia fidelium cum infidelibus ob ſubverſionis periculum. *Nolite* (inquit Paulus II. Cor. vı.) *iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Quæ verba de matrimonio non contrahendo interpretantur Cyprianus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Theodoretus, & alii. Plura Concilia, ut Eliberitanum, Laodicenum, & alia, has nuptias prohibuerunt.

XXXIII. Quæſt. VIII. *An matrimonia Catholicorum cum hæreticis ſint illicita, & nulla iure naturali, & eccleſiaſtico, vel an fieri licita per diſpenſationem poſſint?* Reſp. Theologi omnes fatentur illicita eſſe eiuſmodi connubia: ſunt enim pluribus Eccleſiæ canonibus prohibita. Nullum vero ius, ſive naturale, ſive divinum, ſive eccleſiaſticum, illa irrita declarat. Diſparitas religionis non eſt impedimentum iure naturali dirimens. Nam Eſau in naturali lege duxit mulieres idololatras, quæ uxores in Scriptura ſancta vocantur. Ius divinum prohibet, at non irritat hæc matrimonia; ut communiter Theologi docent. Ius autem eccleſiaſticum nullum irrita & invalida hæc matrimonia declarat; dummodo iuxta Eccleſiæ leges, quas obſervare hæretici tenentur, celebrata fuerint. An poſtea hæc matrimonia ita illicita ſint, ut in nullo caſu fieri per diſpenſationem Superioris licita poſſint, diſſentiunt in utramque partem Theologi. Hanc controverſiam mea non intereſt diſcutere, neque certam ſententiam, cui adhæream, video.

## CAPUT V.

*De materia, forma, & miniſtro ſacramenti matrimonii.*

I. SApientiſſimus Melchior Cano *Lib. VIII. de loc. theolog. cap. v.* de materia & forma ſacramenti matrimonii ſermonem habens, inquit: *Nam & cum quærunt, an matrimonium conferat gratiam, id quod eo loco maxime ſciendum erat, non definiunt tamen, ſed in his referunt quæ in hominum opinione ſunt poſita. In materia item & forma huius ſacramenti ſtatuenda adeo ſunt inconſtantes, & varii, adeo incerti, & ambigui, ut ineptus futurus ſit qui in tanta illorum varietate ac diſcrepantia rem aliquam certam, conſtantem, exploratam conetur efficere.*

II. Pluſquam ſeptem Theologorum opiniones recenſere poſſem in deſignanda materia & forma matrimonii: ſed, his miſſis, ſententiam ſeligo quam docet S. Thomas in *Suppl. q.* xlıı. *art.* 1. *ad* 2. Eſt autem eiuſmodi. Materia ſacramenti matrimonii, ſunt actus contrahentium. Hæc ſunt verba S. Thomæ. *Sacramentum matrimonii perficitur per actum ipſius qui ſacramento illo utitur, ſicut pœnitentia. Et ideo ſicut pœnitentia non habet aliam materiam niſi ipſos actus ſenſui ſubiectos, qui ſunt loco materialis elementi, ita eſt de matrimonio.*

III. Quænam vero ſit iſtius ſacramenti forma, non adeo mihi compertum eſt. In illis enim verbis reponenda forma huius ſacramenti videtur quæ actus contrahentium determinant, ut ſacramentum fiat, eiuſque effectum primarium exprimunt. Talia autem eſſe videntur verba Sacerdotis contrahentes coniungentis in matrimonium. Quæ ſane ſententia menti Concilii Tridentini *ſeſſ.* xxıv. *cap.* 1. *de ref.* accedere videtur. Oppoſitum tamen propugnant plures graveſque Theologi, nempe ipſa verba contrahentium formam eſſe huiuſce ſacramenti. Verum deciſio huius controverſiæ ex iis pendet quæ mox in ſequentis controverſiæ diſcuſſione dicenda ſunt.

IV. Quæſt. unic. *An Sacerdos aſſiſtens contrahentibus ſit ſacramenti matrimonii miniſter?* Reſp. Duæ ſunt hac de controverſia ſententiæ, & utraque ſuos graviſſimos patronos habet etiam in ſchola Thomiſtica. Cardinalis Gotti *q.* 11. *de matr. dub.* 5. ait, communiorem eſſe inter noſtrates opinionem quæ defendit, non Sacerdotem, ſed contrahentes ipſos ſacramenti matrimonii miniſtrum eſſe. Ex Thomiſtis tamen citat ſolum Gonet.

V. E contrario vero Sacerdotem eſſe huiuſce ſacramenti miniſtrum, propugnant præter Guillielmum Pariſienſem Melchior Cano *Lib. VIII. cap. v.* Cardinalis Toletus *Lib. VII. de Sacerd. inſtruct. cap.* vı. Petrus Ledeſma *de matr. quæſt.* xlıı. *art.* 1. *dub.* 4. Petrus de Marca *tract. de matr.* Maldonatus *q. de matr.* Æſtius in IV. *diſt.* xxvı. §. 10. Franciſcus

ciſcus Sylvius in *ſuppl.* III. *Part. qu.* xlii. *art.* 1. & in 2. 2. *qu.* c. *art.* 2. *ad* 6. Natalis ab Alexandro *de matr. art.* 5. Tornely *qu.* iii. *art.* 2. Le Drain *Libr. X. de ſacram. q.* ii. Gibertus *conſult. canonic. de matrim. Tom. I. concl.* 55. Hermenier *Tom. III. cap.* v. Du-Hamel *de matr. cap.* vi. Florentius de Cocq. *ſec.* vii. Iuvenin. *diſſ.* xii. *q.* iii. Vanroy *q.* ii. Pieſſe *q.* xiii. Hinc iure infertur, quod in *I. Part. qu.* 1. *art.* 8. ſcribit P. Dominicus Bannez, nempe *ſententiam communem modo a multis improbari non ſolum poſt celebrationem Concilii Tridentini, ſed etiam antea: & CANI ſententiam multos alios ſequi abſque ulla temeritate. Quod enim uno tempore occultatur, poſtea per diligentiam, & ſtudium advenientium multoties innoteſcit.* Paucis ego utriuſque ſententiæ fundamenta attingam. Nihil enim pro alterutra parte definitum ab Eccleſia eſt; ſed utraque opinio ſua fruitur probabilitate. Sententia tamen quæ Sacerdotem huius ſacramenti miniſtrum aſſerit, mihi eſt probabilior.

VI. Principio ſententia, quæ illius ſacramenti, ſicut & aliorum omnium, Sacerdotem miniſtrum eſſe defendit, erui videtur ex Tridentino *ſeſſ.* xxiv. *cap.* 1. *de ref.* ubi hæc habentur. *Ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat:* Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: *vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuſcuiuſque provinciæ ritum.* Satis perſpicue colligi hinc videtur, Sacerdotem eſſe huius ſacramenti miniſtrum, & verba quæ profert, eſſe formam. Concilium enim verba uſurpanda præſcribit, vel alia iuxta cuiuſque Eccleſiæ ritum. Ibidem ſubdit hanc benedictionem a proprio Parocho faciendam eſſe. *Item ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos alterius parochiæ ſponſos ſine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo iure ſuſpenſus maneat.* Plura alia Concilia provincialia, ut Colonienſe, Cameracenſe, Remenſe, Turonenſe, quæ refert Sylvius, prætereo.

VII. His accedunt Ritualia plurima. Rituale Romanum vetus, an. 1494. a P. Alberto Caſtellano O. P. collectum, hæc habet. *Contrahentibus reſpondentibus ſe nec affines, nec conſanguineos &c. Sacerdos pronunciet verba, quæ ſunt forma huius ſacramenti.* Alterum Romanum, Pauli V. iuſſu editum, hæc verba *Ego vos coniungo* &c. proferenda a Parocho iſtius ſacramenti miniſtro præſcribit, P. Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus *Tom. II. pag.* 11. *Lib.* 1. *cap.* ix. plura alia Ritualia in hanc rem affert. Unum laudare ſufficiat, nempe Mediolanenſe, in quo S. Carolus Borromæus *Act. Part.* IV. hæc inſeri curavit, nempe *quinque duntaxat eſſe ſacramenta, quæ Parochus ex officio adminiſtrare poteſt, baptiſmum, Euchariſtiam, pœnitentiam, matrimonium, & extremam unctionem.*

VIII. Oppoſitæ ſententiæ patroni reponunt, verba iſta, *Ego vos coniungo* &c. ad ſolemnitatem, ſecus ad formam pertinere; alioquin Tridentinum non permitteret pro varia Eccleſiarum diſciplina variari. Forma enim ſacramenti conſtans & firma ſit oportet. Sacerdos vero ab aliquibus miniſter huius ſacramenti appellatur, quia præſentia ſua, tamquam teſtis, dat firmitatem contractui, qui aliter irritus eſſet.

IX. Quam ſit reſponſio hæc infirma, nemo non videt. Conſtans utique & firma eſſe forma ſacramenti debet quantum ad ſenſum & ſignificationem, ſecus ſemper quantum ad verba, modumque loquendi. Præſcribit Concilium adhibenda hæc verba eſſe, *Ego vos coniungo* &c. vel alia ſimilia, quæ idem ſignificent. Nonne forma baptiſmi, & confirmationis Latinos inter & Græcos nonnihil diſcrepat; tametſi eadem ſit quantum ad ſenſum & eſſentialem verborum ſignificationem? Quod addunt, & hæc verba, *Ego vos coniungo* &c. hunc præferre ſenſum, *declaro vos coniunctos*, eſt arbitrarium commentum, quod Novatoribus Lutheranis, & Calviniani anſam porrigit ſimili modo interpretandi hæc verba, *Ego te abſolvo*, non aliud ſignificare, niſi *ego declaro te a Deo abſolutum*. Quid? Sacerdos, ut merus teſtis, prælata verba profert? Alii ergo teſtes dicere ſimiliter poterunt? *Ego*, vel *nos coniungimus vos* &c. Abſurdum hoc eſt. Ergo abſurdum quoque eſt aſſerere, Sacerdotem eſſe iſtius ſacramenti teſtem, & non miniſtrum.

X. Inſiſtunt, Sacerdotem miniſtrum eſſe huius Sacramenti, quatenus ritus & cæremonias adminiſtrat. Verum habet, Parochum eſſe miniſtrum huiuſce ſacramenti, quatenus ritus, nempe formam, & cetera quæ Ritualia præſcribunt, adminiſtrat. Quid? Duo ne miniſtrorum genera, nempe laicorum, & Sacerdotum ſacramentum iſtud perficient?

XI. Luculentius confirmatur ſententia hæc. Lutherani, & Calviniſtæ negant matrimonium eſſe ſacramentum. Scripturarum teſtimonia, quibus nos evincimus ſacramentum





eſſe matrimonium, acutis cavillationibus eludere ſtudent. Cedo: quibus nos rationum momentis illorum explodimus commenta? Non ſine aliis, ut ex iis quæ ſupra dicta ſunt, conſtat, niſi apoſtolica, & univerſali traditione Patrum, qui una voce ſacras vocant nuptias, quia ſacra Sacerdotis benedictione conſecrantur. Legantur teſtimonia ſupra relata. Hinc in iure canonico xxx. *q.* v. cap. *Nullus*, hæc habentur. *Nullus fidelis, cuiuſcumque conditionis ſit, occulte nuptias faciat; ſed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino.*

XII. Reſpondent oppoſitæ ſententiæ patroni, ſacram Sacerdotis benedictionem, quam veteres omnes adſtruunt, neceſſariam utique eſſe Eccleſiæ mandato, tamquam cæremoniam accidentalem ad maiorem nuptiarum ſolemnitatem; ſecus ad ſacramenti neceſſitatem, divino præcepto impoſitam. Reſponſionem hanc, ut falſam, & Novatoribus magnopere faventem, docte, ſolideque Melchior Canus refellit. Et principio, unde nos ex traditione argumenta haurimus, ut contra Novatores evincamus ſacramentum eſſe matrimonium, ſi recenſita reſponſio conſiſtat? Profecto ſi benedictio ſacerdotalis, qua conſecrari nuptias Patres aſſerunt, ut ad ſacramenti dignitatem evectum a Chriſto matrimonium evincant, ſit mera accidentalis cæremonia, deſunt nobis præſidia omnia ex traditione arceſſita, quibus contra Novatores, denegantes matrimonio ſacramenti dignitatem, pugnemus. Sublata quippe univerſalis Eccleſiæ traditione, quæ eſt legitimus ſacrarum Scripturarum, quibus matrimonium magnum ſacramentum enuntiatur, interpres, inermes reperimur in certamine, & cauſa cadimus in Novatorum conſpectu. Concilium Carthaginenſe IV. ut vidimus, coniuges monet ut in reverentiam benedictionis ſacerdotalis virginitatem intaminatam prima nocte ſaltem cuſtodiant. Plus ne accidentali benedictioni quam ipſimet ſacramento tribuendum eſt? Si benedictio non acceſſiſſet, ſacramentum nihilominus eſſet, inquiunt adverſæ ſententiæ patroni. Tum autem non eſſet cur coniuges ſe continerent: nonne? Quis id aſſerere abſque offendiculo poteſt?

XIII. Præterea, ut Canus ſapienter diſſertat, ſacramento proprie dicta ſunt ſacræ religionis cæremoniæ: ſacrorum enim uſus ad religionem, qua Deum colimus, pertinet. Quocirca ſacramentum opus eſt religionis. Porro non quodlibet rei ſacræ ſignum eſt ſacramentum, ſed illud duntaxat quod ſacrum eſt. Et idcirco ſacramenta, divini cultus ac religionis ſacra quædam opera ſunt. Cum igitur matrimonium ſolis viri, & feminæ verbis civiliter & profane contrahitur, licet rei ſacræ ſignaculum ſit, non eſt tamen opus religionis ſacrum, atque adeo ſacramentum proprie dictum. Alioquin ſi rebus ſacris ſat eſt ſignificationem affigere, ut ſacramenta dicantur, ſerpens æneus, atque manna proprie ſacramenta nuncupanda ſunt, concludit Canus. Quod cum ſit abſurdum, conſequitur connubia ſine ſacro miniſtro, & abſque ſacra religionis cæremonia, non eſſe chriſtianæ religionis ſacramenta.

XIV. Accedit, Concilium Florentinum, enumeratis ſeptem novæ legis ſacramentis, ita definire. *Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum.* Si horum unum deſit, ſacramentum non perficitur. Quis ſacramenti matrimonii miniſter ordinarius, ſine quo ſacramentum nullum eſt? ipſi coniuges? Homines laici ordinarii ſacramentorum miniſtri? Mulier, neceſſitate urgente, baptizat, at miniſter ordinarius illa non eſt, ſed Sacerdos. Soli Sacerdotes conſecrati ſacramento Ordinis ſunt legitimi myſteriorum Chriſti diſpenſatores, ut I. *Corinth.* iv. inquit S. Paulus. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Quo ergo iure adimi iiſdem hæc poteſtas valet adminiſtrandi ſacramenti matrimonii, quod magnum myſterium ab eodem Paulo nuncupatur, ut illa mulieri, cui ne quidem loqui permittitur in Eccleſia, tribuatur? Unde, quæſo, adverſarii colligant laicos eſſe ſacramenti matrimonii miniſtros? Ex quo Scripturarum teſtimonio, ex quo Concilio, ex qua Patrum traditione eruunt diverſam eſſe ſacramenti matrimonii, ac ceterorum omnium rationem? Nullum profecto ſacræ antiquitatis documentum afferre in medium valent. Porro cum omnium aliorum ſacramentorum miniſter Sacerdos ſit, ut ab hac regula eximant matrimonii ſacramentum, teſtimonia vel ex Scriptura, vel ex Conciliis, vel ex traditione afferre, & quidem perſpicua & luculenta, debent. Nec ſatis eſt ut rem inſolitam, & ceterorum omnium ſacramentorum regulis certis adverſam, qualis eſt, quod laici ſint ordinarii ſacrorum myſteriorum miniſtri, evincant, unam aut alteram coniecturam, humano ratiocinio ex aliquo teſtimonio ambiguo deductam, in medium afferre; ſed requiritur clara & manifeſta exceptio; præci-

tur quod in iis verſemur quæ a voluntate inſtitutoris pendent.

XV. Quemadmodum in pœnitentia optime diſtinguimus virtutem, & ſacramentum; ita in matrimonio contractum humanum a ſacramento ſecernimus. Pœnitentiæ virtutis miniſter non Sacerdos, ſed ſolus pœnitens ejuſdem perſilat officia; pœnitentiæ vero ſacramenti ſolus Sacerdos miniſter eſt. Similiter matrimonii, ut eſt humanus contractus, ipſi conjuges cauſſa ſunt effectrix; contra matrimonii, ut ſacramenti, cauſſa perficiens Sacerdos eſt. Hæc omnia exacte ſibi conſtant, unaque optime conſiſtunt. Contra in oppoſito ſyſtemate vix formari poteſt aliqua perſpicua idea miniſterii a conjugibus in hoc ſacramento præſtandi. Sacramentorum enim quæ in ſola actione ſita ſunt, miniſter a ſuſcipiente diſtinguitur. Nemo enim ſeipſum confirmare, baptizare, abſolvere valet. Conjuges autem ſacramentum matrimonii ſuſcipiunt. Qui ergo fieri poteſt ut conjuges ſint iſtius ſacramenti miniſtri? nam quilibet contrahens ſibi, aut unus alteri ſacramentum adminiſtrat. Non primum, quia nemo, ut dictum, eſt, ſibi adminiſtrare ſacramentum, in actione ſitum, poteſt. Illud ergo eſt reliquum, ut vel ambo conjuges unum miniſtrum conſtent; vel unus alteri viciſſim ſacramentum adminiſtret. Si ſecundum, duo efficient ſacramenta: neque enim ſacramentum ita dividuum eſt, ut unus miniſter partem unam & alius miniſter partem alteram perficiat. Primum autem repugnare communi ſenſui videtur. Nam licet conferre tertio ſimul in eodem inſtanti duo miniſtri queant ſacramentum; tamen percipi poſſe nullo modo videtur, qua ratione valeant duo conjuges unum efficere miniſtrum, qui ſibimetipſis ſacramentum adminiſtret. Ex alia parte neuter ſine altero poteſt ſacramentum perficere. Et tum quæritur, an prius vir mulieri, an mulier viro ſacramentum conferat.

XVI. Tandem ſacramentum a ſacra proficiſci forma debet. Quamvis enim cuique ſacramenti materia naturalis ſit, forma tamen, a qua ſacramentum denominatur, ſacra ſit neceſſum eſt, ut ſacrum opus perficiat. Numquid a forma naturali & civili ſacer prodibit effectus? Porro contrahentium verba, *Ego te accipiam in meam &c.* nullo modo ſacra ſunt. Materia ergo ſacramenti eſſe poſſunt; forma eſſe non poſſunt. Quod præfata verba naturalia ſint, & non ſacra, inde patet, quod omni nationi, etiam fide chriſtiana deſtitutæ, communia ſint, & ab omni populo indiſcriminatim uſurpentur. Rurſus verba quæ ſacramentorum formas conſtituunt, ſpiritualem effectum ſignificant; immo vel maxime in forma ſacramenti ſignificatio elucet. Hæc autem verba, *Ego te accipio in meam*, nullius ſpiritualis effectus ſigna ſunt. Accedit quod dum verba alicujus ſacramenti forma ſunt, ſi loco illorum aut nutus, aut ſcriptum, aut ſignum ſubſtituantur, inanis prorſus eorum actio eſt. Numquid baptiſma per nutus, aut ſigna adminiſtrari valide poteſt? At ſi contrahentes loco verborum, nutus, vel ſcripturas ſubſtituunt, æque conficiunt matrimonium, ac ſi verbis utantur.

XVII. Hinc merito ratiocinatur Melchior Canus. Verba igitur contrahentium materia ſacramenti ſunt, forma non ſunt. Iam illa falſa & commentitia eſſe quis non videt quæ juniores Theologi confinxere, ut civilem hunc, humanumque contractum Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum eſſe tuerentur: quæ quidem pleraque infidelibus valde nugatoria ſunt; fidelibus autem parum ſolida. Hic tibi dicit, contrahentes ipſos eſſe materiam ſacramenti: hic non ipſos, ſed conſenſum; alius, geſtus & nutus qui a viro feminaque exceptis verbis adhibentur; alius prioris loquentis verba materiam eſſe affirmat, poſterioris formam. Quæ utinam graviter, vere, & probabiliter dicerentur, ne jure ab hæreticis rideremur. Quorſum autem attinet in re graviſſima tenuiter, ne dicam ridicule, philoſophari? Quorſum in re ad fidem, & religionem neceſſaria, tanta varietas & inconſtantia? Non enim, ut Hieronymus ait, poteſt umquam verum aſſeri quod diverſum eſt. Et rurſum, *Verum*, inquit, *non eſſe quod variat, etiam maledicorum teſtimonio comprobatur*. Quid quod nos materiam, & formam ſacramenti quærimus, hoc eſt res quaſdam religione ſacras; hi vero de forma materiaque contractus profani, naturaliſque reſpondent? Nam ſi apud Ethnicos de pacti illius conventioniſque materia & forma controverſia eſſet, non aliter profecto illi ac noſtri Theologi loquerentur. Ita Lutherus more ſuo Theologos ſatis jocoſe luſit, quod religionis noſtræ ſacramentum ex his vel integrum & perfectum conſtituiſſent quæ penitus omnia in matrimoniis paganorum reperirentur. Ac certe materiam, & formam civilis, naturaliſque contractus, quibus in omni ſemper lege omnes uſi ſunt, quæque perpetuo fidelibus, & infidelibus fuere communes; eaſdem omnino eſſe materiam, & formam, quibus integra & perfecta noſtræ religionis conſtituuntur



ſacramenta, non Luthero dicam, ſed vix cuiquam perſuaderi poterit, niſi ei apud quem tantum opinio præjudicata poteſt, ut etiam ſine ratione valeat. Hactenus ſapientiſſimus Cano totidem verbis, quæ uſurpare mihi libuit, quod ſint ad controverſiæ difficultatem exponendam quam maxime opportuna.

XVIII. Tandem hæc ſententia tutior ſane eſt. Nemo enim in controverſiam vocat, matrimonium, benedictione ſacerdotali accedente, eſſe ſacramentum. Contra, hac benedictione ſublata, graviſſimi Theologi aperte inficiantur matrimonium tale eſſe ſacramentum. Hæc autem Theologorum opinio probabilis eſt. An negabunt adverſarii hanc opinionem eſſe probabilem, quam tot doctiſſimi Theologi propugnant? Si quiſquam minus peritus hoc auderet, illi oppono auctoritatem ſapientiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. qui *Lib. VII. de Synod. cap.* XXXVIII. *n.* 7. hæc ſcribit. *Verum quamquam hujuſque explicata Melchioris Cani ſententia, tot Doctorum ſuffragiis communita, ſit VALDE PROBABILIS, ac cuique liberum abſque erroris nota eam amplecti* &c. Non probabilis modo, verum etiam valde probabilis eſt ſententia noſtra, teſte Pontifice maximo. Eſt etiam tutior in comparatione oppoſitæ. Illa enim tutior ſententia eſt de qua Theologorum nemo unus ambigit. Porro omnes ad unum fatentur, conjugium, eccleſiaſtico ritu benedictum a Sacerdote, eſſe verum ſacramentum. Contra graviſſimi Theologi pernegant ſine hac benedictione eſſe ſacramentum. Ergo tutior illa, hæc minus tuta. Atqui ex decreto Innocentii XI. ex duabus opinionibus probabilibus, quæ in utramque partem a Theologis diſputantur, tutiorem amplecti debemus, quando de ſacramentis agitur. Ergo amplectenda noſtra, rejicienda altera eſt.

## §. UNICUS.

*Adverſæ ſententiæ rationum momenta expenduntur.*

I. Objiciunt 1. In decreto pro Armenorum inſtructione Eugenius IV. hæc docet. *Cauſſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti*. Porro cauſſa efficiens matrimonii, & miniſter idem ſunt. Reſp. Iam ſupra dictum eſt, cauſſam effectricem matrimonii, ut eſt naturæ officium, & ut contractus humanus, & civilis, eſſe mutuum contrahentium conſenſum; quia inde oritur nexus, & vinculum perpetuum, ut Catechiſmus Concilii Tridentini *Part. II. cap.* VIII. §. 6. interpretatur. *Cum dicunt conjugium eſſe conſenſum maris & feminæ, hoc ita accipiendum eſt, conſenſum ipſum matrimonii cauſſam effectricem eſſe: quod Patres in Concilio Florentino docuerunt. Etenim obligatio, & nexus oriri non poteſt niſi ex conſenſu, & pactione.* Inſiſtunt. Eugenium loqui de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis quorum numerum matrimonium ingreditur. Verum habet. Sacramentum eſſe matrimonium, aſſerit Eugenius; at de materia, & forma hujus ſacramenti nihil prorſus definit; ſed potius determinatum omnium ſacramentorum miniſtrum conferentem ſacramenta, a ſuſcipientibus diſtinctum deſignat. Et hoc magis inde conſtat, quod Pontifex loquens de aliis ſacramentis illorum materiam aſſignat. *Primum omnium ſacramentorum* (inquit) *eſt baptiſmus . . . hujus ſacramenti materia* &c. De matrimonio vero loquens, ſacramenti non meminit; ſed tantum abſolute ait: *Cauſſa efficiens matrimonii*; minime vero inquit: Cauſſa efficiens *hujus ſacramenti*. Nihil igitur ex hoc decreto eruere adverſarii valent quod illorum faveat opinioni; cum certum ſit, duo in matrimonio diſtinguenda eſſe, nempe rationem contractus, & rationem ſacramenti. Sacramentum matrimonium eſſe Eugenius aſſerit; cauſſam vero effectricem contractus matrimonii dicit eſſe conſenſum contrahentium. Quænam vero ſit cauſſa perficiens ſacramentum expreſſe non definit. Porro, cum abſolute dicat, ſacramentorum miniſtrum eſſe *Sacerdotem*, ut ab hac univerſali omnium aliorum ſacramentorum regula matrimonium exciperet, neceſſaria foret perſpicua & manifeſta declaratio. Perperam igitur una æquivoca vocula firmare adverſarii opinionem in re graviſſima contendunt.

II. Objiciunt 2. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* 1. *de reform.* declarat, matrimonia clandeſtina rata & vera matrimonia fuiſſe, donec Eccleſia eadem irrita fecit; quamvis ea ſemper deteſtata fuerit ſic clandeſtine contracta. Reſp. Levior præcedenti eſt oppoſitio hæc. Rata, & valida ſemper fuiſſe matrimonia clandeſtina in ratione contractus verum habet; in ratione ſacramenti, falſum eſt. Laudatum Concilii decretum vinculum perpetuum, & fœdus matrimonii indiſſolubile, non ſacramenti dignitatem ſpectat, ut Cardinalis Pallavicinus *Lib. XXIII. c. 12. n. 9.* teſtatur, inquiens: *Numquid declaravit Concilium, clandeſtina matrimonia fuiſſe ſacramenta, adeo ut graves Theologi id negent?*

III. Inſiſtunt. Concilium *cit. ſeſſ.* XXIV. *can.* 1. hoc dogma ſtatuit. *Si quis dixerit matrimonium non eſſe vere & proprie unum ex ſeptem legis evangelicæ ſacramentis a Chriſto Domino inſtitutum .... anathema ſit*. Deinde *can.* XII. inquit: *Si quis dixerit, cauſſas matrimoniales non ſpectare ad iudices eccleſiaſticos, anathema ſit*. Reſp. Omnes Catholici confitentur, ut fidei dogma, matrimonium eſſe ſacramentum. Propterea ne matrimonium clandeſtinum ſacramentum eſt? *Can.* XII. damnat eos qui negant cauſſas matrimoniales attinere ad iudices eccleſiaſticos: quia Chriſtiani omnes tenentur matrimonium inire, ut ſacramentum a Chriſto inſtitutum. Porro ad iudices eccleſiaſticos pertinet iudicare, contractæ ne nuptiæ ſint iuxta leges Eccleſiæ. Iſtorum officium eſt in eos fideles animadvertere qui matrimonium clandeſtine, & neglectis Eccleſiæ ritibus, ineunt tamquam humanum contractum, & non tamquam ſacramentum a Chriſto inſtitutum. Violant enim tunc leges tum divinas, tum eccleſiaſticas. Ergo iudicium ad Eccleſiam attinet.

IV. Obiiciunt 3. Abſurdum videtur, matrimonia clandeſtina non fuiſſe ante Trident. ſacramenta, & tot fideles caruiſſe huius ſacramenti effectu. Reſp. Abſurdum quod obtruditur, totum in malitia contrahentium regitur. Nonne etiam adverſarii fatentur, Chriſtianos matrimonia contrahentes contemptis Eccleſiæ ritibus, peccare mortaliter? Maius ergo abſurdum in ſententia adverſariorum apparet. Non enim caruerunt dumtaxat effectu ſacramenti, qui ante Trident. clandeſtine matrimonia inibant, ſed ſacrilegium quoque perpetrabant, admiſſa ſententia, quod eiuſmodi matrimonia fuerint ſacramenta. Peccato ſiquidem mortali, neglectis Eccleſiæ ritibus, polluti illa celebrabant. In noſtra autem ſententia uno ſe inquinabant ſcelere: quia matrimonia illa fœdera perpetua & indiſſolubilia erant, ſacramenta non erant.

V. Obiiciunt 4. Benedictiones & verba Parochorum non ad eſſentiam, ſed ad cæremonias accidentales attinent matrimonii. Quoniam Tridentinum non aſſerit matrimonium ſine tali benedictione nullum eſſe; ſicut nullum pronuntiat, ſi Parochi præſentia deſit. Reſp. Sunt aliquæ benedictiones utique accidentales; ſed hoc non impedit quominus eſſentialis illa ſit qua Parochus contrahentes coniungit. Tridentinum, ut ſupra dictum eſt, nihil ſuper hac controverſia expreſſe definivit. Inſiſtunt. Secundæ nuptiæ benedictione carent, ut ex *can.* VII. Concilii Neocæſarienſis colligitur. Reſp. Secundæ nuptiæ carent quadam benedictione accidentali, quæ in ipſa Miſſa a Sacerdote pronuntiatur; at non carent benedictione eſſentiali, qua Sacerdos, ut Dei & Eccleſiæ miniſter, contrahentes coniungit.

VI. Obiiciunt 5. auctoritatem S. Thomæ & Theologorum multitudinem. Reſp. Pro utraque ſententia afferuntur Angelici Doctoris teſtimonia. Prioris ſententiæ patroni, producunt hæc, quæ *Lib. IV. cont. Gent. c.* LXXVIII. Angelicus ſcribit, *Matrimonium*, inquit, *inquantum ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubiaceat regimini eccleſiaſtico. Ea autem quæ populo per miniſtros Eccleſiæ diſpenſantur, ſacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, ſecundum quod conſiſtit in coniunctione maris & feminæ, intendentium prolem ad cultum Dei generare, & educare, eſt Eccleſiæ ſacramentum: unde & quædam benedictio nubentibus per Miniſtros Eccleſiæ adhibetur, & ſicut in aliis ſacramentis per ea quæ exterius aguntur, ſpirituale aliquod figuratur; ſic & in hoc ſacramento per coniunctionem maris & feminæ coniunctio Chriſti & Eccleſiæ figuratur*. Rurſus in *IV. diſt.* 1. *artic.* 3. *ad* 5. licet, inquit Cano, communes opiniones ſequeretur, tamen veritate coactus docet matrimonium, ſicut & pœnitentiam, eſſe ſacramentum, *ſecundum quod utrumque eſt ſacramentum, in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ conſiſtens, utrumque habet aliqua verba*. Hæc teſtimonia videntur ſatis perſpicua. Nihilominus contrariæ opinionis patroni alia opponunt, quæ videntur adductis contraria, quæ habet in *Suppl. qu.* XLV. *art.* 5. *ad* 2. Quare negari nequit quin ambigua ſit ſuper hac controverſia S. Thomæ mens. Propterea Sylvius in 2. 2. *qu.* c. *art.* 2. *ad* 6. docet, S. Doctorem, ſi ſuam Summam abſolviſſet, declaraturum fuiſſe, miniſtrum ſacramenti matrimonii eſſe Sacerdotem: præſertim, inquit, quod *III. Part. quæſt.* LXXXII. *art.* 3. *ad* 8. expreſſe dicat: *Diſpenſatio ſacramentorum pertinet ad miniſtros Eccleſiæ*. Et in Suppl. qu. VIII. art. 1. *Solus ille eſt miniſter ſacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet miniſterium ſuper corpus Chriſti verum, quod ſolius Sacerdotis eſt*. Item qu. XXXI. art. 1. *Nullius ſacramenti diſpenſatio laicis ex officio competit*. Demum qu. LIX. art. 2. ad 1. *Matrimonium, ſecundum quod eſt ſacramentum conſiſtens in diſpenſatione miniſtrorum Eccleſiæ, non competere infidelibus*. Ad multitudinem Scholaſticorum, contrariæ opinioni patrocinantium, quod attinet, reſpondetur, hunc magnum numerum probabilem quidem reddere oppoſitam opinionem, ſecus certam. Idcirco diſputare licite in utramque partem quiſque valet, eamque ſibi eligere quam probabiliorem iudicat.





VII. Illud ex iis quæ dicta ſunt, inferri iure poſſe exiſtimo, nempe ſententiam quæ defendit, Sacerdotem eſſe matrimonii miniſtrum, facilius Novatorum commenta explodere, & minoribus abſurdis obnoxiam eſſe. Præterea ſententia hæc omnino conformis eſt univerſæ Eccleſiæ catholicæ praxi; idque propugnat quod reipſa obſervatur, obſervatamque ſemper Eccleſia voluit. Neque ex hoc diſſidio aliquid emolumenti capere Novatores poſſunt. Nam omnes Catholici conveniunt, matrimonium iuxta ritum & leges Eccleſiæ celebratum ſacramentum eſſe. Sit poſtea, nec ne ſacramentum, abſque ſacris ritibus celebratum, diſputatio ſcholæ eſt. Quare prudenter concludit Melchior Cano: *Sed ſive noſtra opinio ſit vera, ſive falſa, nihil moror. Si Lutherani de hoc matrimoniorum genere diſceptare voluerint, intelligant ſe in ſcholæ diſceptationes incurriſſe; nec oportere Catholicum ad eorum argumenta reſpondere. Sin vero argumententur, matrimonium cum ſacris cæremoniis, cum ſacra materia, cum ſacra forma, a ſacro miniſtro adminiſtratum, quemadmodum in Eccleſia Romana ſemper uſque ab Apoſtolis adminiſtratum eſt: ſi hoc, inquam, argumententur, Sacramentum Eccleſiæ non eſſe, tunc Catholicus reſpondeat, animoſe defendat, ſecure contra pugnet*.

## CAPUT VI.

### *De conſenſus mutui ad matrimonium neceſſariis conditionibus.*

I. QUæſt. I. *An, ut validum ſit matrimonium, utriuſque coniugis conſenſus requiratur?* Reſp. Affirmant omnes. Dictum enim ſupra eſt, conſenſum mutuum utriuſque coniugis cauſſam effectricem eſſe matrimonii. Matrimonium autem firmum vinculum eſſe nequit perpetui amoris, animorumque coniunctionis, niſi utraque pars ſuum conſenſum præbeat. Quoniam ſine mutuo conſenſu, non transfertur proprii corporis dominium. Bona quippe propria in alterius tranſire poteſtatem nequeunt, niſi vel lege cogente, vel ipſius domini conſenſu. Nulla autem lex eſt quæ cogat, ut quis proprii corporis dominium in alterius poteſtatem transferat. Ergo ſolo mutuo conſenſu eorum qui contrahunt, transferri dominium iſtud, valet.

II. Diſputant Scholaſtici, poſſit ne Deus ſua abſoluta poteſtate ſupplere contrahentium conſenſum, & efficere ut verum ſit matrimonium, non accedente coniugum conſenſu. Affirmant plures cum Eſtio in *IV. diſt.* XXVII. §. 3. Quia Deus ſupremo ſuo dominio conferre uni poteſt dominium in alterius corpus, atque adeo eiuſdem ſupplere conſenſum. Negant alii. Verum quæſtio iſta inter otioſas collocanda eſt. Numquam enim Deus hac uſus poteſtate eſt, & definire infinitæ poteſtatis divinæ confinia fugit humanæ mentis aciem.

III. Quæſt. II. *Quæ conditiones requirantur ad conſenſum, ut validum efficiat matrimonium?* Reſp. Conſenſus debet eſſe internus, ſincerus & non fictus, liber & non coactus, ab errore immunis, & publicus, atque ſigno exteriore manifeſtatus.

IV. Quæſt. III. *An conſenſus interior nullo exteriori ſigno expreſſus ſufficiat ad matrimonium?* Reſp. Negant omnes; & ratio eſt manifeſta: tum quia conſenſus iſte materia eſt ſacramenti, quæ neceſſario ſenſibilis ſit oportet: tum quia conſenſus unius coniugis acceptari ab alio debet. Acceptari autem non poteſt, niſi per exteriora ſigna manifeſtetur. Neque enim homines, quemadmodum Angeli, communicare ſibi conceptus ſuos valent ſola animi directione, ſed ſolum per externa aliqua ſigna, ſive verba ſint, ſive quodlibet aliud ſymbolum.

V. Quæſt. IV. *An conſenſus in matrimonium neceſſario exprimendus verbis ſit ab iis qui loqui poſſunt, ſufficiantque in mutis & ſurdis nutus, vel alia ſigna?* Reſp. Concilium Florentinum in decreto &c. hæc ſtatuit. *Cauſſa efficiens matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus*. Particula illa *regulariter* verba, non conſenſum afficit: conſenſus enim non modo regulariter, ſed ſemper neceſſarius eſt; non item verba, quæ ſuppleri per aliqua externa ſigna poſſunt, ut in mutis, ſurdiſque, quando iſti matrimonium ineunt; quemadmodum Innocentius III. cap. *Tuæ fraternitatis* ſtatuit, inquiens: *Surdos, & mutos poſſe contrahere matrimonium ſine verbis. Quod enim verbis non poſſunt, ſignis declarare valent*. Et hoc expreſſius Catechiſmus Concilii Tridentini *Part. II. cap.* VIII. §. 10. declarat. *Verborum loco tam nutus, & ſigna, quæ intimum conſenſum aperte indicent, ſatis ad matrimonium eſſe poſſunt: tum etiam ipſa taciturnitas cum*

*puella propter verecundiam non reſpondet, ſed pro ea parentes loquuntur.*

VI. P. Claudius La-Croix fallitur, & fallit *Lib. VI. qu.* 111. *num.* 231. inquiens, Canum putaſſe, matrimonia ſolis nutibus contracta non eſſe ſacramenta. Canus enim docet, matrimonia contracta ſolis nutibus non eſſe ſacramenta in hypotheſi, quod conjuges eſſent miniſtri hujus ſacramenti: quia Eccleſia ſacramentorum miniſtros mutos & ſurdos non habet. Ceterum Canus non negat matrimonium nutibus contractum eſſe ſacramentum, quando celebretur juxta Eccleſiæ ritum, Sacerdote benedicente, & conjungente ſponſos, præbentes materiam ſenſibilem ſive per verba, ſive per nutus.

VII. Diſputant Caſuiſtæ, an valentes loqui peccent mortaliter, ſi, neglectis verbis, ſolis nutibus matrimonium celebrent. P. La-Croix *loc. cit.* refert ex una parte Ledeſmam, Rodriquez, Sylveſtrum, Averſam, requirentes verba ſub mortali: ex altera Sanchez, Filliucium, docentes venialiter tantum peccare qui verba omittunt nutibus ſubſtitutis: ſed Pontius, inquit, Caſtropalaus, Henrix, Tamburinus, Sporer, Krin, quibus accedit Leander *diſp.* VI. *quæſt.* XXII. dicunt, per ſe nullam eſſe culpam, neglectis verbis exprimere alio ſigno conſenſum internum, dummodo abſit periculum ſcandali, & dubii de exiſtentia conſenſus. Has omnes opiniones Lectorum arbitrio P. La-Croix more ſuo relinquit. Bilances caſuiſticæ ponderandi malitiam mortalem, vel venialem ſæpe mihi deſunt. Certe ſolum aio, peccare regulariter illos qui loqui cum poſſint, verbis omiſſis, nutus, vel alia ſigna adhibent. Excipe caſum puellæ verecundæ, aut aliud legitimum impedimentum.

VIII. Quæſt. V. *Utrum conſenſus interior ad matrimonii valorem debeat eſſe verus & ſincerus, aut ſufficiat fictus per verba exterius ſerio de præſenti expreſſus?* Reſp. Plures hac de quæſtione circumferuntur opiniones. Mihi probabilius eſt, conſenſum interiorem fictum ſimulatumque, licet verbis de præſenti ſerio expreſſum, non efficere matrimonium validum. Hanc doctrinam aperte tradit Innocentius III. cap. *Tua nos* de ſponſal. his verbis. *Sine conſenſu nequeunt cetera fœdus perficere conjugale.* Hanc ſententiam perſpicue docet S. Thomas in *Suppl. quæſt.* XLV. *art.* 4. ubi in argumento quod vocant proloſorium, hæc habet. *Intentio requiritur in omnibus ſacramentis. Sed ille qui corde non conſentit, non habet intentionem matrimonii contrahendi. Ergo non fit matrimonium.* Deinde in articuli corpore hoc pacto ratiocinatur. *Sicut ſe habet ablutio exterior ad baptiſmum; ita ſe habet expreſſio verborum ad hoc ſacramentum. Unde ſicut ſi aliquis ablutionem exteriorem reciperet, non intendens recipere ſacramentum, ſed ludum & dolum facere, non eſſet baptizatus; ita expreſſio verborum ſine interiori conſenſu matrimonium non facit.* Decretoria hæc ſunt, nec commentatione noſtra egent. Plura obtrudi ſolent in oppoſitum, quæ reſoluta manent ex iis quæ dicta ſunt *Tom. VIII.* de intentione neceſſaria in perficiendis ſacramentis, quæ ibidem videre tu poteris, ne ego actum agam.

IX. Quæſt. VI. *An qui ſimulate contraxit matrimonium cum aliqua, peccet mortaliter, & teneatur conſentire, eamque ducere?* Reſp. Qui ſimulate contraxit, peccavit mortaliter, contra veritatem quidem ratione mendacii, contra juſtitiam vero, quod alterum contrahentem fraude & dolo decepit.

Ad ſecundam partem quod attinet, allegantí ſe ficte contraxiſſe, fidem adhibendam non eſſe, Innocentius III. cap. *Per tuas* de probat. docet, inquiens: *nimis indignum eſſe juxta legitimas ſanctiones, ut quod ſua quiſque voce dilucide proteſtatus eſt, in eumdem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare.* Quæ abſurda, quæ familiarum, Reipublicæ, & Eccleſiæ perturbationes non conſequerentur, ſi affirmanti, ſe animo ſimulato contraxiſſe, fides adhiberetur? Non modo audiri abſolute non debet talis ſimulator, ſed ſeveris pœnis puniri a Superiore debet ob fraudem, qua & contrahentem, & Eccleſiam decepit.

XI. Quare abſolute loquendo, qui ſimulate contraxit, ſub gravi peccato obſtringitur vere & ſincere conſentire, & feminam cum qua ficte contraxit, ex animo ducere: tum ut reſarciat injuriam illatam Eccleſiæ, & parti; tum ut ſcandala, & damna quæ inde ſuboriri poſſent, impediat. Ejuſmodi ſimulatores abſolvendi nullo modo ſunt, niſi prius verum conſenſum ſive interius, ſive exterius, prout prudenter Sacerdos judicaverit, præſtent.

XII. Quæſt. VII. *Sunt ne aliqui caſus in quibus ſimulator non teneatur ducere feminam cum qua ficte contraxit?* Reſp. Sequentes caſus aſſignant plures Theologi. 1. Si ſimulator alteram duxerit ſincero animo: quo in caſu, inquiunt, priori feminæ illata damna compenſare ſimulator deberet. Verum communiter hæc opinio rejicitur. Eccleſia enim ſemper hunc compellit manere cum prima: ut colligitur ex cap. *Licet* de ſponſal. & docet *loc. cit. ad* 3. S. Thomas. *In tali caſu Eccleſia compellit ad ſtandum cum prima uxore: quia ſecundum ea judicat quæ foris apparent: nec decipitur in juſtitia, ſive in jure, quamvis decipiatur in facto.* Si tamen revera conſenſus fuit coram Deo fictus cum prima uxore, & verus ſincerusque cum ſecunda, tunc, addit Angelicus ibi, *ille debet potius excommunicationem ſuſtinere quam ad primam uxorem accedat: vel debet in alias regiones remotas fugere.* Quoniam ſecunda in hoc caſu eſſet vera uxor, quamvis Eccleſia ſecundum ea quæ extrinſecus apparent, judicet in favorem primæ: quia præſumit adfuiſſe verum conſenſum. Quando tamen certa & indubitata argumenta occurrerent, defuiſſe reipſa cum priore conſenſum; tum judex eccleſiaſticus poſt reparatum damnum illatum parti læſæ, & peractam pœnitentiam ob mendacii & fraudis iniquitatem abſolvere poſſet reum, & nullum declarare prius matrimonium.

XIII. 2. Si ſit maxima inter eos diſparitas, & evidentia ficti conſenſus ſigna appareant, tunc præſumi poteſt, mulierem voluiſſe decipi, & non fuiſſe vere deceptam. 3. Caſus, ſi mulier quæ decepta apparet, ſe virginem ſimulaverit, cum reipſa non eſſet: tunc enim fictio ex utraque parte extaret. 4. Si capitales inimicitiæ, ſcandala, diſſidia, cædes, aliaque id genus mala ex tali matrimonio oritura timeantur. In his caſibus, inquiunt, judex eccleſiaſticus poterit juxta circumſtantiarum varietatem talia matrimonia ficta reſcindere, compenſatione pecuniaria adjecta.

XIV. Quæſt. VIII. *Quid dicendum de prole ex matrimonio ficte contracto ſuſcepta?* Reſp. Legitimam prolem ex tali matrimonio ſuſceptam reputandam eſſe, antequam fictio probetur, docent communiter Auctores cum S. Thoma in *IV. diſt.* XLI. *quæſt.* 1. *articul.* 4. *ad* 2. ubi hæc habet. *Ignorantia excuſat illicitum coitum a peccato, niſi ſit affectata. Unde illi qui conveniunt bona fide in facie Eccleſiæ, quamvis ſit impedimentum, dummodo ignorent, non peccant, nec filii ſunt illegitimi.* Fictiones iſtæ, ut jam dixi, communiter improbandæ ſunt, & rejiciendæ. Uni conjugi, affirmanti ſe non conſenſiſſe in matrimonium, fidem alter conjux adhibere non debet, nec alterum inire conjugium poteſt. Sicut Eccleſia non præbet fidem aſſerenti, & non probanti fictionem, ita neque privatus conjux credere eidem debet, ut in *Supp. q.* XLV. *art.* 4. *ad* 2. S. Thomas docet, inquiens: *Si deſit conſenſus mentalis ex parte unius, ex neutra parte eſt matrimonium: quia matrimonium conſiſtit in mutua conjunctione. Tamen probabiliter poteſt credi dolus non eſſe, niſi ſigna evidentia doli appareant; quia de quolibet præſumendum eſt bonum, niſi probetur contrarium. Unde ille ex cujus parte dolus non eſt, a peccato excuſatur per ignorantiam.* Quando judicis ſententia reſciſſum prius matrimonium fuerit, tum iniri ſecundum poterit.

XV. Quid, ſi unus conjux certus ſit, prius matrimonium, judicis ſententia diſſolutum, eſſe validum in foro interiori? Tum iſte nequit ſecundum conjugium inire. Qui dubitat, ſit nec matrimonium ſuum validum, debet doctiores viros conſulere, & illorum judicio dubium deponere. Quod ſi dubium probabile fuerit, & deponi prudenter nequeat, tunc reddere, minime tamen petere poteſt debitum: ut docet S. Thomas in *Supp. q.* LV. *art.* 9. *ad* 3. Ratio primi eſt, quia dubitatio unius non ſufficit ad privandum alterum ſua legitima poſſeſſione. Secundum vero patet: quia cum dubium deponi prudenter nequeat, periculum fornicationis adeſt, quod quiſque vitare tenetur.

XVI. Quæſt. IX. *An conſenſus metu extortus nullum matrimonium efficiat?* Reſp. Principio diſtinguenda a metu coactio eſt. Hæc a principio extrinſecus operante manat, quæ in internos voluntatis actus agere minime valet. Ideo communiter Theologi docent, voluntatem intrinſecus cogi non poſſe. Quando enim vult, proculdubio voluntarie vult.

XVII. Multiplicem metum Theologi diſtinguunt. Alius metus gravis eſt, qui concipitur de aliquo malo imminente vel in ſe gravi, ut eſt mors, exilium, carcer, mutilatio, vel gravi ex apprehenſione timentis. Juveni, vel mulieri poteſt eſſe grave malum quod leve eſt viro. Timor levis eſt de malo & in ſe, & reſpectu timentis perſonæ levi. Prior dicitur cadens in virum conſtantem, ſecus poſterior.

XVIII. Præterea alius metus eſt a naturali interna cauſſa ortus, qui vel ob vitam ſervandam, vel ob pœnam æternam, ſimileve fugiendam ad agendum impellit. Alius eſt metus qui a cauſſa exterius agente proficiſcitur: & hic duplex eſt. Aut enim cauſſa exterius agens eſt duntaxat metus occaſio, ut eſt tempeſtas maris reſpectu mercatoris, qui, ut vitam a ſæviente tempeſtate ſervet, merces projicit, vel votum edit: ubi tempeſtas non eſt cauſſa, ſed occaſio talis projectionis.

nis, & voti: neque enim tempeſtas hoc tendit, ut mercatorem cogat ad merces proiiciendas, votumve emittendum. Aut cauſſa exterior eſt cauſſa effectrix eiuſmodi metus ob vim quam homini directe infert, ut cum latro, pugione diſtricto iugulum petens, mortem comminatur, niſi pecunia ſibi tribuatur. Hæc vis exterior vera eſt metus cauſſa, unde actio manat.

XIX. Inſuper alius eſt metus iuſtus a iudice, vel legitimo ſuperiore ex iuſta cauſſa inflictus: ut cum iudex Titium ſub matrimonii fide virginis corruptorem ad carcerem damnat, aliave gravi pœna plectit, ut violatam virginem ducat in matrimonium. Alius eſt metus iniuſtus, qui iniuſte abſque legitima cauſſa incutitur. Tandem eſt metus reverentialis, qui dicitur exiſtimatio futuri mali quod ſibi quiſque metuit ab illis ſub quorum extat poteſtate, & quos revereri tenetur; ut ſunt filii reſpectu parentum, ſubditi reſpectu ſuperiorum. His præmiſſis, ad quæſtionem propoſitam reſpondetur.

XX. Dicendum 1. eſt, matrimonium ex metu gravi iniuſte incuſſo celebratum, nullum & irritum eſſe: & fatentur omnes, declaratumque eſt ab Alex. III. cap. *Cum locum de ſponſalibus*, his verbis. *Cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit, neceſſe eſt ut ubi aſſenſus cuiuſdam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo conſenſu contrahitur: & ubi de illo quæritur, plena debet ſecuritate gaudere, cuius eſt animus indagandus, ne per timorem dicat ſibi placere quod odit.* Rationem aſſignat Doctor Angelicus in *Supp. qu.* XLVII. *art.* 3. his verbis. *Vinculum matrimonii eſt perpetuum. Unde illud quod perpetuitati repugnat, matrimonium tollit. Metus autem qui cadit in conſtantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia poteſt repeti reſtitutio in integrum. Et ideo hæc coactio metus, quæ cadit in conſtantem virum, tollit matrimonium, & non alia.* Vide plura alia ibi. Ratio hæc matrimonia irritandi evidens eſt. Quia matrimonium perpetuum animorum fœdus includit. Conſenſus autem gravi metu extortus nec plene liber eſt, nec benevolam animorum ſocietatem inducit, ſed potius diſſidia parit: idcirco iure Eccleſia eiuſmodi matrimonia irrita declaravit.

XXI. Diſputant Theologi, ſint ne hæc matrimonia nulla iure naturæ, an tantum iure eccleſiaſtico. Communior & probabilior ſententia eſt, nulla eſſe iure dumtaxat eccleſiaſtico, iuri tamen naturali quammaxime conſentaneo. Quoniam metus natura ſua non tollit voluntarium ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, ut Tom. *VI.* dictum eſt.

XXII. Dicendum eſt 2. matrimonium ex gravi metu iuſte incuſſo, ſive ex cauſſa naturali interna, ſive externa, validum eſſe, ut communiter docent omnes. Si cauſſa interna ſit, res manifeſta eſt. Qui enim vel mortis metu, vel ſanitatis amore matrimonium contrahit, liber eligit hoc bonum, ut malum effugiat. Qui ergo coniugium init, ut ab aliquo malo ſe ſe liberet, quoties malum illud directum in hunc finem non eſt, ut conſenſum extorqueat, vinculo coniugali obſtringitur; quemadmodum qui furente tempeſtate votum edit, voto obſtringitur, quia libere vovet. Et eiuſmodi cauſſæ ſunt potius occaſiones quam veræ cauſſæ actionis: quia non ſunt in talem finem directæ. Si cauſſa exterior metum iniuſte incutiat, ut matrimonium contrahatur, tunc ſibi imputare debet contrahens, qui ſuo crimine impulit iudicem ad infligendam pœnam, qua compulſus uxorem ducit puellam quam poſt datam matrimonii ineundi fidem defloravit. Hoc enim iuſtitiæ ordo poſtulat, ut damnum illatum reparetur. Validum quoque eſt matrimonium illius qui, ut evadat ſupplicium capitale, vel aliud malum, etiam iniuſte illatum, non tamen eum in finem ut matrimonium contrahatur, talem feminam ducit uxorem.

XXIII. Dicendum eſt 3. matrimonium ex metu levi contractum validum eſſe: quia metus levis facile repelli poteſt, nec libertatem infert. Similiter matrimonium ob metum reverentialem initum validum eſt; dummodo ex parte parentum deſint comminationes, ſeu graves, quæ moroſam ac difficilem cum iiſdem cohabitationem efficerent. Quia tum metus evaderet gravis, & iniuſtus. Tunc enim metus iniuſte incuſſus dicitur, quando qui illum incutiunt, peccant contra iuſtitiam, & bonos mores. Peccant autem parentes, & quidem graviter, quoties vi cogunt filios ad certa matrimonia ineunda.

XXIV. Ex iis quæ hactenus dicta ſunt, valida habentur ſequentia matrimonia. 1. Qui concubinam mortis, aut inferni, aut naufragii metu perculſus ducit, validum contrahit matrimonium. 2. Qui ad mortem iuſte damnatus, ſi ab aliqua poſtulatur ad nuptias, ut mortem declinet, validas nuptias contrahit. 3. Ratum eſt matrimonium illius qui iudice mortem, aut carcerem comminante ducit illam quam defloravit. 4. Si iuvenis inventus in ſtupro a parentibus cum propria fi-



lia, timens ſibi mortem inferendam, ſponte offerret ſe ducturum in coniugem filiam, validum eſſet coniugium. 5. Si parentes minarentur, ſe hunc ſtupratorem adducturos ad iudicem, niſi ducat filiam, quam invitam violavit: & is metu hoc conculſus eam ſponte ducat, ratum eſt matrimonium: quia iuſte parentes talem ſtupratorem ad iudicem deferre valent. Contra ſi ipſi mortem, aut grave malum inferre tentarent, tunc matrimonium ex tali metu contractum nullum eſſet: quia talis metus iniuſte eſſet incuſſus. Licet enim parentes iure ſtupratorem invitæ filiæ deferre ad iudicem valeant; ipſi tamen minari, vel inferre mortem, ſive aliud grave malum nequeunt. Similiter nullum eſſet matrimonium, ſi filia libere conſenſiſſet in ſtuprum, eamque ex gravi metu ſibi incuſſo duceret: quia metus iniuſte eſſet intentatus. Tunc enim parentes ius tantum habent accuſandi penes iudicem ſtupratorem, & adigendi ut damnum illatum reſarciat; ſecus infligendi timorem ad extorquendum conſenſum in matrimonium, niſi ſub fide matrimonii ineundi eam revera violaſſet.

XXV. Quid de hoc matrimonio dicendum? Sempronius, paſſus a Titio iniuriam per furtum, aliudve crimen, minatur illum accuſare apud iudicem, niſi talem puellam ducat in uxorem. Matrimonium irritum foret: quia quamquam Sempronius iure potiatur accuſandi Titium apud iudicem ad damnum ſibi illatum reparandum; nullum tamen ius habet comminandi accuſationem, ut illum compellat ad matrimonium contrahendum. Et quamvis hoc timore perculſus Titius contraheret matrimonium, illudque iuramento confirmaret; nihilominus invalidum eſſet. Quia iuramentum non efficit validum quod ab Eccleſia irritum declaratum eſt. Qui iniuſto metu compulſus contraxit, reddere debitum non tenetur.

XXVI. Quæſt. X. *Quomodo coniugium ex metu iniuſto initum convaleſcet?* Reſp. Si qui coactus contraxit, libere poſtea conſentiat, validum evadit matrimonium, dummodo in altera parte, quæ libere conſenſerat, perſiſtat conſenſus non retractatus; ut S. Thomas in *IV. diſt.* XXIX. *quæſt.* 1. *artic.* 3. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2. docet. *Ex conſenſu libero illius qui prius coactus eſt, non fit matrimonium, niſi inquantum conſenſus præcedens in altero adhuc manet in ſuo vigore: unde ſi diſſentiret, non fieret matrimonium.* Ratio patet: Matrimonium enim ex utriuſque coniugis conſenſu mutuo pendet. Quare ſicut matrimonium nullum fuit ex defectu conſenſus illius qui coactus contraxit; nullum eſt, ſi conſenſus ab altera parte præſtitus non perſeveret; licet coactus libere poſtea conſentiat. Quoniam utriuſque coniugis conſenſus moraliter ſaltem ſimultaneus, & reciprocus ſit oportet. Ex utraque igitur parte renovari conſenſus debet, ſi in altera parte non perſiſtat, ut matrimonium convaleſcat. Si matrimonium primo contractum fuit cum Parocho & teſtibus, nemine reclamante, nullaque timoris incuſſi mentione facta, ſat matrimonium convaleſcit per ſolum privatum etiam occultum conſenſum, mutuamque maritalem cohabitationem. Contra, ſi coram Parocho & teſtibus vis illata fuiſſet, aut metus incuſſus tunc innotuiſſet, matrimonium rurſus coram Eccleſiæ facie celebrari deberet; ut S. Pius V. & Congregatio Concilii declararunt.

XXVII. Qui directe, vel indirecte timorem gravem iniuſte incutiunt, ut aliquem cogant ad matrimonium ineundum, ſunt ipſo facto excommunicati a Concilio Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* IX. *de reform. matr.*

XXVIII. Quæſt. XI. *An conſenſus adiecta conditione, datus per verba etiam de præſenti, ſatis ſit ad matrimonium validum?* Reſp. Negant communiter omnes. Quare ſi quis dicat: Accipio te in uxorem, ſi pater meus conſenſerit, matrimonium nullum eſt: quia conditio adiecta conſenſum præſentem ſuſpendit. Matrimonium autem non fit niſi per conſenſum præſentem expreſſum, & abſolutum. Quare dum appoſita conditio impleatur, neceſſarius eſt conſenſus novus. Quid, ſi ante conditionem impletam commiſceantur? Ad hunc caſum reſpondet Innocentius III. cap. *Per tuas* de conditionibus appoſitis, his verbis. *Cum liquido conſtet, quod poſt contracta ſponſalia carnalis eſt inter eos copula ſubſecuta, pro matrimonio eſt præſumendum: quia videntur a conditione appoſita receſſiſſe. Nam etſi probatum ſit, quod poſtquam pater & patruus contradixere ſponſalibus, idem vir mulierem illam carnali commixtione cognoverit, non eſt tamen aliquo modo probatum, quod antequam ipſe cognoviſſet eamdem, pater eius & patruus contradicere curaviſſent.* Pontifex ſummus hunc contractum: Accipio te in meam, ſi pater & patruus conſenſerit, de quo conſtitutus fuerat, non vocat matrimonium, ſed ſponſalia. Deinde, ut controverſiam dirimat, iuris præſumptionem allegat, nempe præfatum ſponſum revocaſſe adiectam conditionem. Siquidem eo ipſo quod copula carnali cognoverit ſponſam, iure præſumitur conditionem re-

revocaſſe. Similem deciſionem dedit Congregatio Concilii Tridentini coram Clemente VIII. ad hunc caſum, qui idem eſt. *Titius cum Berta coram Parocho & teſtibus contraxit matrimonium per verba de præſenti, ſed hac tamen conditione, ſi id ſalvo meo honore fieri poſſit, & ſi fratribus meis placuerit. Deinde non expectato conditionis eventu copulam habuit cum Berta affectu maritali; & copula ſcitur a multis. Quæritur, an per hoc ſit iam firmatum matrimonium de præſenti, nec oporteat expectare conditionis eventum. Et ratio dubitandi eſt, quoniam contractus ille coram Parocho, & teſtibus, cum fuerit per appoſitam conditionem ſuſpenſus, non potuit habere vim matrimonii de præſenti, ſed ſponſalium de futuro; & copula cum affectu maritali ſubſecuta, quamvis oſtendat receſſum fuiſſe a conditione, tamen non ſufficit ad matrimonii veritatem, niſi de præſenti contrahatur coram Parocho, & teſtibus.* Cui caſui hoc præbet Sacra Congregatio reſponſum. *Sacra Congregatio Concilii cenſuit, in caſu propoſito valere matrimonium; nec requiri ut de novo coram Parocho, & teſtibus contrahatur.*

XXIX. Quæſt. XII. *Quæ adiici conditiones poſſunt matrimonio?* Reſp. Quæ nunc dicenda ſunt, ſponſalia potius quam matrimonium ſpectant. Matrimonium quippe ſub conditione contrahi præſertim poſt Tridentinum nequit. Conditiones quæ apponi valent, diverſi ſunt generis. Aliæ ſunt generales, cuilibet contractui intrinſecus inſitæ, ut ſunt iſtæ: Ducam te, ſi Deo placuerit, ſi vixerimus &c. Aliæ ſunt peculiares & intrinſecæ, ſine quibus conſiſtere matrimonium nequit; puta ſi quis dicat: Accipiam te in coniugem, ſi ab alio matrimonio ſis libera, ſi non ſis mea conſanguinea. Aliæ ſunt quæ extrinſecus neceſſario futuræ ſunt; ut ſi dicas: Ducam te, ſi Sol cras orietur. Aliæ prorſus impoſſibiles; ut ſi dicas: Contraham tecum, ſi cælum digito tetigeris. Aliæ ſunt poſſibiles & contingentes; & hæ rurſus dividuntur in honeſtas, turpes, & indifferentes. Turpes aliæ ſunt contra ſubſtantiam matrimonii; aliæ extra eiuſdem ſubſtantiam. Aliæ tandem ſunt de futuro, vel de præterito, vel de præſenti.

XXX. Conditiones generales, vel neceſſariæ nullo modo ſuſpendunt matrimonium. Conditiones quæ aut ex rei natura, aut ex Eccleſiæ auctoritate inſunt matrimonio, quod ſine eiſdem conſiſtere nequit, non efficiunt ſponſalia conditionata, neque ſuſpenſa: v. g. ſi dicas: Accipiam te, niſi ſis conſanguinea, vel matrimonio iuncta, vel ſi coram Parocho conſenſum dederis. Conditiones eiuſmodi intrinſecus inſunt ipſi contractui, ac perinde eſt ſive taceantur, ſive exprimantur; cum natura veræ conditionis, cuius eſt effectum ſuſpendere, careant. Similiter conditiones neceſſario futuræ contractum nullo modo ſuſpendunt, quando conditio diem certum habet, ut craſtinus Solis ortus. Si vero contrahens diceret: Contraham tecum, ſi cras Sol cælo ſereno ſit oriturus: contractus eſſet conditionatus: quia conditio adiecta contingens eſt. Similiter ſi contrahens Solis ortum tum præfigeret, tamquam terminum in quo celebrandæ nuptiæ eſſent, non tamquam conditionem, effectus ſuſpenderetur. Quando conditio, alioquin neceſſaria, contingens evadit, quia diem certum præfinitum non habet, effectum ſuſpendit, ut ſi dicat: Ducam te in coniugem, ſi Titius moriatur.

XXXI. Conditiones impoſſibiles, & turpes, quæ matrimonii ſubſtantiam non inficiunt, pro non adiectis habentur: & matrimonium ratum conſiſtit, ut Gregorius IX. cap. *Si conditiones*, declaravit his verbis: *Si conditiones contra ſubſtantiam coniugii inferantur; puta ſi alter dicat alteri: Contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas: matrimonialis contractus, quantumcumque ſit favorabilis, caret effectu; licet aliæ conditiones appoſitæ in matrimonio, ſi turpes, aut impoſſibiles fuerint, debeant propter eius favorem pro non adiectis haberi.* Conditiones iſtæ turpes, quia ſunt contra bonos mores, & ad ſcelera viam aperiunt, reiiciuntur, & pro non adiectis habentur: quia Eccleſia matrimonio, quoad fieri poteſt, favere vult. Si vero conditiones iſtæ ſint vel de præterito, vel de præſenti; ut, ſi dicas: Tecum contraho, ſi hominem occidiſti, ſi ſis inimica Sempronii: communiter Theologi docent, tum has conditiones, tametſi turpes, reiiciendas non eſſe, atque probato conditionis eventu, contractum conſiſtere, quod conditiones iſtæ non inducant peccatum, ſed illud ſupponant.

XXXII. Quæſt. XIII. *Quænam conditiones adverſantur ſubſtantiæ matrimonii?* Reſp. Quæ bona matrimonii, videlicet prolem, fidem, & ſacramentum, impetunt. Sunt autem eiuſmodi vel ſimiles: Accipio te in meam, ſi nullos mihi genueris filios, ſi generationem devitaveris, ſi ſterilitatis venenum ſumpſeris, ſi adulterandam te proſtitueris: contraho tecum, uſquedum venuſtiorem, nobiliorem, ditioremve invenero. Iſtæ & ſimiles conditiones inficiunt ipſam matrimonii ſubſtantiam, nullumque efficiunt.



XXXIII. Si matrimonio, aut ſponſalibus apponantur conditiones de præſenti, aut de præterito, poſita conditione, conſiſtunt ſponſalia & matrimonium; ſublata conditione, nulla ſunt ſponſalia, & matrimonium: ut ſi dicas: Accipio te in meam, ſi ſis virgo, ſi ſis primogenita, ſi conſentiant tui parentes. Et hoc verum habet, dummodo conditiones turpes non ſint, aut bonis matrimonii non adverſentur, eæque animo apponantur, ut efficiant contractum conditionatum. Quare etiamſi copula carnalis ſuccedat, quando conditio eſt de præſenti, vel de præterito, matrimonium irritum eſt: ut ſi dicas: Accipio te in uxorem, ſi ſis virgo, legitima, nobilis &c. Deinde, matrimonio conſummato, comperit eam pro tempore quo initus contractus eſt, virginem non fuiſſe, nec legitimam, nec nobilem. Hoc quippe in caſu matrimonium initio nullum fuit, & copula conſequente convaleſcere nequit. Si conditio fuiſſet de futuro; tunc ſuſpendiſſet actum uſque ad conditionis eventum. Quare ſi medio tempore copula carnalis affectu maritali acceſſiſſet, tunc Eccleſia præſumit contrahentes a conditione receſſiſſe, & conſenſum conditionatum tranſiiſſe in abſolutum, atque adeo matrimonium ratum eſſe; ut ex Innocentio III. ſupra dictum eſt. Verum quando conditio eſt de præſenti, aut præterito, actus ſuſpenſus non hæret: ſed, conditione extante, abſolutus & validus; conditione ſublata, nullus omnino eſt; ut Innocentius IV. Hoſtienſis, & Canoniſtæ plures docent, quibus accedit Fagnanus in caput *Si conditiones*.

XXXIV. Si quis dicat: Accipio te in meam, ſi patri meo placuerit; ſciebatque patrem eſſe mortuum; conditio pro non adiecta habetur: ſi vero ignorabat patris mortem, nullum eſt matrimonium, niſi novus conſenſus accedat. Si pater vivit, taceatque, ſi ex circumſtantiis colligatur tacere, quia illi placet contractus, matrimonium valet: contra ſi indicetur tacere, quia diſplicet, nullus contractus eſt. Si dubitetur, cur taceat, abſtinendum a contractu, donec ſe declaret. Si conſentiat, & poſtea diſſentiat, validum erit matrimonium, dummodo ſponſi perſeverent in voluntate contrahendi uſque ad aſſenſum patris. Prudentia tamen opus eſt. Nam iuxta prudentum intelligentiam conditio præfata poſtulat ut pater plene acquieſcat. Quare ſi intra breve temporis intervallum conſentiret & diſſentiret, tunc contractus nullus eſſet. Hoc tamen ex circumſtantiis iudicandum eſt.

XXXV. Quæſt. XIV. *Conditio honeſta, contraria bonis matrimonii, irritat ne matrimonium?* Reſp. Si conditio turpis ſit, omnes affirmant. Si conditio ſit honeſta, diſputant in utramque partem. Quando ſponſi contrahunt ſub conditione perpetuæ caſtitatis, tunc non ſolum copula carnalis aufertur, ſed etiam ius ad copulam, & poteſtas mutua in propria corpora. Uterque obligatur ad non petendum, neque reddendum debitum. Hoc autem iure ſublato, matrimonium nullum eſt. Nam licet ſociari cum matrimonio poſſit intentio non petendi debitum, & non cognoſcendi coniugem; ſi tamen hoc deducatur in pactum, ſubſtantia matrimonii, cui neceſſario ineſt ius ad copulam, deſtruitur. Sanctiſſimi ſponſi B. Virgo, & Ioſeph abſolute contraxerunt, & mutuam corporum poteſtatem tranſtulerunt, nullo adiecto pacto ſibi reciproce numquam reddendi debitum; quamvis animum habuerint ab omni carnali copula abſtinendi, ut S. Thomas *III. Part. quæſt.* XXIX. *art.* 2. docet. *Uterque conſenſit in copulam coniugalem, non autem expreſſe in copulam carnalem, niſi ſub conditione, ſi Deo placuerit.* Et rurſus *in IV. diſt.* XXX. *quæſt.* II. *art.* 1. *quæſtiunc.* 2. *ad* 2. ſubdit: *Beata Virgo antequam contraheret cum Ioſeph, fuit certificata divinitus quod Ioſeph in ſimili propoſito erat, & ideo non ſe commiſit periculo nubendo: nec tamen propter hoc aliquid veritati deperiit: quia illud propoſitum non fuit conditionaliter in conſenſu appoſitum: talis enim conditio, cum ſit contra matrimonii bonum, ſcilicet prolem procreandam, matrimonium tolleret.* Aliqui contendunt validum eſſe hoc matrimonium, tali conditione abſtinendi a copula affectum: quia adhuc ius remotum ad copulam manet. Sed hæc opinio mihi non probatur.

XXXVI. Quæſt. XV. *An conditio indifferens, vel impertinens ſuſpendat contractum?* Reſp. Affirmant plures recentiores: iuxta quod ſi dicas: Accipio te, ſi pluat, ſi ſaltes: ſuſpenditur contractus, donec pluat, ſaltes &c. quia omnis conditio a iure non improbata apponi matrimonio poteſt. Conditio autem indifferens, impertinens nullo iure improbatur. Ergo tales conditiones ſuſpendunt matrimonium. Verum quamvis opinio hæc admitti poſſit; tamen culpa non vacarent qui his nugis & ineptiis magnum

hoc

hoc ſacramentum immiſcerent: & vix diſcuti abſque culpa tam ineptæ quæſtiones valent.

XXXVII. Quæſt. XVI. *Quid, ſi cum duabus conditione adiecta honeſta ſponſalia contrahas?* Reſp. Ille contractus valet cuius conditio prius impletur. Si conditiones eodem momento implerentur, neuter contractus validus eſſet. Verum & hæc opinio inter otioſas collocanda videtur.

XXXVIII. Quæſt. XVII. *An impedimento dirimente irretiti contrahentes, adiecta conditione, ſi Papa diſpenſaverit, coniugium conditionatum efficiant?* Reſp. Recentiores plures reſpondent: Si impedimentum tale ſit a quo Papa diſpenſare non ſoleat abſque graviſſima cauſſa, quæ deſit in contrahentibus, contractus nullus eſt. Si autem diſpenſare a tali impedimento Pontifex ſoleat, tum validum matrimonium conditionatum aſſerunt, dummodo coram Parocho, & teſtibus initum fuerit; ita ut adveniente diſpenſatione, non ſit neceſſarius novus conſenſus. Addunt eiuſmodi contrahentes monendos a Parocho eſſe, contractum ſuſpenſum hærere, uſquedum impleatur conditio, & conſequenter ne domi cohabitent, ſed ſeparati vivant. Si conditio ſit de præſenti, vel de præterito, monere eos Parochus debet, illos Eccleſiam non habituram ut coniuges, niſi conditio appoſita extet. Verum probabilius mihi videtur, eiuſmodi matrimonia conditionata numquam admittenda a Parocho eſſe, ſed prorſus ſuſpendenda, donec impletæ conditiones fuerint; & nonniſi matrimonia abſoluta, & omni conditione, ſive de præterito, ſive de futuro ſublata, celebranda eſſe.

XXXIX. Quæſt. XVIII. *Quibus verborum formulis exprimendus conſenſus matrimonii ſit?* Reſp. Illis exprimi verbis & ſignis debet quæ iuxta patriæ, & nationum idioma præſeferunt conſenſum reciprocum de præſenti: ut ſunt eiuſmodi, Accipio te in uxorem, duco te &c. Quia ad matrimonium requiritur reciprocus verbis, aut ſignis de præſenti expreſſus conſenſus.

XL. Quæſt. XIX. *Quid de hac formula dicendum, Non duco aliam, niſi te?* Reſp. Quando dictio includens particulam exceptivam eſt de præſenti, ſemper affirmationem claudit; ut hæc, Non video niſi te, ſignificat, te ſolum video, & neminem alium. Similiter in hac propoſitione, Nolo aliam uxorem, niſi te, ſenſus eſt, te ſolam duco, & non aliam. In propoſitione e contrario de futuro particula exceptiva non affert ſecum affirmationem: v. g. Non ingrediar aliam Religionem, niſi Franciſcanam: ſenſus non eſt, ut Religionem Franciſcanam ingredi debeas; ſed ſi aliquam ingreſſurus eris, illam ſolam, & non aliam ſuſcipies. Similiter hæc propoſitio, Non ducam aliam, niſi Bertam, non inducit obligationem Bertæ ducendæ; ſed ſolum, ſi aliquam duxeris, ſolam Bertam ducturus eris. Quare tales propoſitiones ſponſalia non inducunt, niſi aliqua circumſtantia ſenſum determinet; ut ſi quis poſt dotis ſtipulationem, aliaſque circumſtantias ſponſalia comitantes dicat, Non ducam aliam niſi te; ex ſubiecta materia colligitur, ſponſalia contracta eſſe, & hanc particulam exceptivam confirmare affirmationem. Similiter particula exceptiva in propoſitione affirmativa ponit actum in caſu excepto, removetque ab aliis; ut ſi dicas, Ducam tantum te, vera eſt promiſſio, & firma ſponſalia. Si vero dicas, Duco tantum te, fit matrimonium.

## CAPUT VII.

*De proprietatibus matrimonii, & polygamia ſucceſſiva, ac ſimultanea.*

TRes ſunt matrimonii proprietates, ſeu bona propria, iuxta Patres, & Theologos, videlicet fides, proles, & ſacramentum. Fides hic non accipitur pro virtute theologica, qua quis aſſentitur myſteriis a Deo revelatis; ſed pro ea fidelitate, & iuſtitiæ parte qua promiſſa implentur. Hinc coniux dicitur fidem datam ſervare, quando aliam, vel alium nullo modo cognoſcit. Fidem e contrario violat, ſi alteri ſui copiam facit. Proles eſt matrimonii finis, cuius procurandæ gratia contrahitur. Sacramentum indiſſolubilitatem & firmitatem contractus coniugalis prodit. In fide igitur unitas, ſeu unius cum una coniunctio, in ſacramento perpetuum indiſſolubile vinculum intelligitur.

### §. I.

*De polygamia ſimultanea.*

I. MAtrimonii unitati opponitur polygamia, ſeu uxorum pluralitas: quæ vel ſucceſſiva eſſe poteſt, cum nempe, mortuo priori coniuge, ad ſecundas nuptias ſuperſtes tranſit; vel ſimultanea, cum eodem tempore unus vir plures uxores, aut uxor plures viros habet. Convenit penes omnes, polygamiam, qua una mulier multis ſimul viris nuberet, eſſe contra ius naturale: quoniam eiuſmodi coniunctio pugnat cum fine tum primario matrimonii, qui eſt prolis ge-

ne-



neratio, cum evidens ſit meretrices, pluribus viris ſe ſe commiſcentes, infecundas eſſe: tum ſecundario, nempe prolis educatione; incertus quippe tunc pater eſſet, atque adeo nullus eſſet alendæ & educandæ proli obſtrictus. Diſputatur dumtaxat de polygamia qua unus vir plures ſimul uxores ducit, num adverſetur iuri naturali, & divino.

II. Calvinus adeo hoſtiliter cum iure naturali, & divino pugnare contendit polygamiam, ut SS. Patriarchas veteris teſtamenti, qui plures habuere uxores, violati naturalis iuris, & adulterii ſontes pronuntiet. Contra Lutherus, Bucerus, Melanchthon, aliique factionis Lutheranæ primipili Philippo Landgravio Haſſiæ licitum eſſe declararunt, ut, vivente coniuge, a qua abhorrebat, alteram duceret: quorum auctoritate ſuffultus reipſa alteram ſibi deſponſavit. Huiuſce conſilii & facti perſpicua documenta in medium protulit Cl. Boſſuetus *Lib. VI. Hiſtoriæ Variationum*. Lutheranis acceſſere Anabaptiſtæ.

III. Catholici omnes fatentur, polygamiam illicitam eſſe. Durandus, Abulenſis, Maldonatus contendunt, polygamiam non pugnare cum lege naturali, ſed tantum cum divina evangelica.

IV. Communis & vera Theologorum ſententia eſt, polygamiam adverſari legi naturali; idque evincunt Scripturarum, & Patrum auctoritate, & ratione. Nam *Gen. 11.* hæc habentur, *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una*. Coniunctio duorum in carne una uxorum pluralitatem excludit.

V. Patrum teſtimoniis hæc veritas confirmatur. Tertullianus *Lib. de exhort. caſtit. cap. v.* hæc habet. *Homo Dei Adam, & mulier Dei Eva unis inter ſe nuptiis functi, formam hominibus Dei, de originis auctoritate, & prima Dei voluntate ſanxerunt*. Erunt duo, *inquit*, in carne una, *non tres, neque quatuor: alioquin non iam una caro, nec duo in carne una*. Subdit ibidem: *Numerus matrimonii a maledicto viri cœpit .... Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit*. Et iterum Lib. I. de monogamia cap. iv. *Semel tantum vim paſſa inſtitutio Dei per Lamech, conſtitit poſtea in finem uſque gentis illius*.

VI. S. Hieronymus *Lib. I.* contra Iovinianum inquit: *Una coſta a principio in unam uxorem verſa eſt. Et erunt duo in carne una, non tres, neque quatuor: alioquin iam non duo, ſed plures. Primus Lamech ſanguinarius & homicida unam carnem in duas diviſit uxores. Fratricidium, & bigamiam eadem cataclyſmi delevit pœna. De altero ſepties, de altero ſeptuagies ſepties vindicatum eſt*.

VII. S. Thomas præ ceteris fuſius, & eruditius hanc quæſtionem diſcutit in *IV. diſt. xxxiii. quæſt. 1. art. 4.* & in *Supplem. quæſt. lxv. art. 1.* ubi omnia quæ opponi argumenta poſſunt, reſolvit, & rationum momenta exponit. Ex multis pauca curſim delibo. *Contra legem naturæ eſt* (inquit) *quod homo ſe ad impoſſibile obliget, & ut quod uni datum eſt, alteri detur. Sed homo contrahens cum una uxore ſui corporis poteſtatem ei tradit, ut neceſſe ſit ei reddere debitum cum petierit. Ergo contra legem naturæ eſt quod poſtea alteri poteſtatem ſui corporis tradat: quia non poſſet ſimul utrique reddere debitum, ſi ſimul peterent.*

*Præterea de lege naturæ eſt, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Sed vir nullo modo vellet quod uxor alium virum haberet. Ergo contra legem naturæ faceret, ſi uxorem aliam ſuperinduceret.*

VIII. Hæc in argumento *Sed contra*; quæ tamen in reſponſis ad hæc eadem argumenta uberius explicat. Deinde in corpore articuli diſtinguit ea quæ ſunt contra prima præcepta, & contra finem primarium legis naturæ, ab iis quæ adverſantur fini ſecundario. Statuit vero, polygamiam ſimultaneam pugnare cum fine non primario, ſed ſecundario; ſeu polygamiam non adverſari primis legis naturæ præceptis, ſed tantum præceptis quæ ſunt veluti concluſiones ex primis erutæ. Nam finis principalis matrimonii eſt generatio, & educatio prolis. Hunc autem finem pluralitas uxorum in totum non tollit: *cum unus vir ſufficiat pluribus uxoribus fecundandis, & educandis filiis ex eis natis*: concludit ille. Finis autem ſecundarius matrimonii eſt pacifica cohabitatio, tranquilla ſocietas, & mutua pax; cui fini valde adverſatur uxorum pluralitas. Hinc polygamia ex ſe diſcordias nutrit, & familiæ regimen, & uxoris æqualitatem in iis quæ torum ſpectant, perturbat.

IX. Argumenta omnia quæ obiici ſolent, Angelicus diluit *loc. cit. in Suppl.* Illud præceptum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, interpretatur proportione ſervata. *Non enim, inquit, ſi Prælatus non vult ſibi reſiſti a ſubdito, ipſe ſubdito reſiſtere non debet. Et ideo non oportet ex vi illius præcepti quod ſicut vir non vult quod ſua uxor non habeat alium virum, ipſe non habeat aliam uxorem. Quia unum virum habere plures uxores non*

*eſt contra prima præcepta legis naturæ*. Vide plura ibi.

X. Pro facili ſolutione omnium quæ opponi valent, advertendum, ius naturale aliud eſſe invariabile, & immutabile; cuiuſmodi ſunt prima & univerſalia mandata, quæ primævum naturæ finem ſpectant; in his nulla eſt diſpenſatio, nulla interpretatio: quæ enim hoc iure prohibentur, intrinſecus mala ſunt. Aliud eſt ius naturale variationi obnoxium ratione temporum, & circumſtantiarum. Hanc varietatem ſolus Deus univerſi iuris naturæ ſapientiſſimus comprehenſor & moderator cognoſcit: idcirco ſolus Deus poteſt diſpenſare, ſeu interpretari, & declarare, quando, & quomodo homo iuri iſti obnoxius ſit.

XI. Hinc habes, Deum in veteri lege SS. Patriarchas diſpenſaſſe, ut ſimul habere plures uxores poſſent, ſicut ex *Deut. cap.* XXI. habetur. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam, genuerintque ex ea liberos .... non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ*. Quæ verba ſupponunt Hebræorum conſuetudinem ducendi plures uxores. Neque concluſio hæc Patrum teſtimoniis confirmari indiget, cum ſit compertiſſima. Neque neceſſe eſt ut expreſſe hæc diſpenſatio, ſeu revelatio legatur in Scripturis; ſed ſat eſt ut factum non reprehenſum legatur.

XII. Illud ſolum advertendum, nomen uxoris bifariam accipi in Scriptura ſancta. Primum in ſtrictiori ſignificatu, ſub quo venit prima uxor ſolemni ritu ducta, quæ etiam materfamilias nuncupatur, & ſpeciali honore prædita erat, eiuſque filii ad hereditatem vocabantur paternam. Secundo in latiori ſignificatione: idcirco ſecundæ uxores, quæ præfatis privilegiis non gaudebant, concubinæ etiam appellabantur. Quamobrem *Gen.* XXV. dicitur: *Deditque Abraham cuncta quæ poſſederat, Iſaac, filiis autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparavit eos ab Iſaac filio ſuo*. Hoc quoque in ſenſu de Salomone habetur: *Fueruntque ei uxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ*: Lib. III. Reg. cap. XI. Omnes ſunt uxores, ſed honore, gradu, & privilegiis diverſæ. Exemplum occurrit in Turcis, qui polygamiam ſimultaneam retinentes, quemadmodum Hebræi ante Chriſti adventum, unam veluti præcipuam habent. Illorum Imperator ex permultis uxoribus unam Reginam habet, cuius primogenitus patri ſuccedit in imperio. Non modo in ſcripturis, ſed etiam in iure tum civili, tum canonico concubina latiori ſignificatione venit uxoris nomine. Concilium Toletanum I. *can.* XVII. ſtatuit, ut qui uxorem non habet, ſed pro uxore concubinam, a communione non repellatur. Gratianus quoque *cap. Omnibus*, diſt. XXXIV. hæc habet. *Concubina hic intelligitur quæ ceſſantibus legalibus inſtrumentis unita eſt, & coniugali affectu aſciſcitur. Hanc coniugem facit affectus, concubinam vero lex nominat*. Quæ ex SS. Ambroſio, & Leone contra ea quæ dicta ſunt, opponi ſolent, nullius ſunt momenti. Nam S. Ambroſius *Lib. I. cap.* IV. de Abraham aperte ait, coniugium Abrahæ cum Agar non fuiſſe *peccatum*, ſed *myſterium*. Ambigua eſt expreſſio adulterii, quæ ibidem legitur: & ex univerſo contextu colligitur, S. Ambroſium non damnaſſe S. Patriarcham adulterii proprie dicti. Idem de S. Leone dicendum eſt.

XIII. Quæſt. I. *Fuit ne ſingulis Patriarchis, aliiſque antiquis veteris teſtamenti revelata hæc diſpenſatio?* Reſp. Reſponſio negans communis eſt. Revelatio Abrahæ facta fuit, ad cuius exemplum ceteri licitam uxorum pluralitatem collegerunt.

XIV. Quæſt. II. *Hæc diſpenſatio conceſſa ne fuit omnibus Iudæis, nedum Patriarchis?* Reſp. Affirmant communiter Theologi, idque colligunt ex *cap.* XXI. *Deut.* & ex Prophetis, quos numquam redarguiſſe legitur Iudæos ob polygamiam. Id autem non omiſiſſent, ſi crimen polygamia fuiſſet genti eiuſmodi.

XV. Quæſt. III. *Hæc diſpenſatio comprehendebat ne etiam Gentiles?* Reſp. Diſputant in utramque partem Theologi. Negant Eſtius, Le-Drain, & alii. Affirmat vero Bellarminus *Lib. de matr. cap.* XI. Et hoc colligit ex Scriptura, narrante non ſolum Abrahæ poſteros, ſed etiam Eſau ſucceſſores, qui extra Dei populum erant, plures habuiſſe uxores abſque ulla reprehenſione. Anne tota Iudæorum natio exultaſſet ob matrimonium Eſther initum cum Aſſuero Rege infideli & uxorato, ſi vetitum illi fuiſſet plures habere ſimul uxores? Nunquid Eſther virgo piiſſima in tale coniugium conſenſiſſet, aut Mardochæus Deum timens eidem tale ſuaſiſſet matrimonium? Hæc opinio probabilis eſt; ſed obſtare videntur ea quæ mox dicturus ſum.

XVI. Quæſt. IV. *Quæ cauſſa fuit cur Deus Abrahæ, eiuſque poſteris uxorum pluralitatem concesſerit?* Reſp. Duæ communiter aſſignantur cauſſæ. 1. eſt generis humani propagatio. 2. aliquorum myſteriorum ſignificatio. Et





reipſa S. Paulus c. IV. in duabus Abrahæ uxoribus myſterium portendi aſſerit, quamvis tale myſterium non pandat. Et S. Auguſtinus *tract.* XI. in Ioannem, quid per quatuor Iacob uxores ominatum fuerit, exponit. Neutra autem harum cauſſarum in populis infidelibus locum habere potuiſſe videtur. Neque enim ex illis, ſed ex poſteris Abrahæ oriturus Meſſias erat. Sed res tanti non eſt, ut diſcuti ſeverius debeat.

XVII. Quæſt. V. *Quænam eſt iſtius diſpenſationis epocha?* Reſp. Poſteriorem diluvio fuiſſe, communis ſententia affirmat. Unus enim ante diluvium polygamus Lamech adulterii reus arguitur. Prima itaque iſtius diſpenſationis epocha ab Abraham repetenda eſt. Ante diluvium longæva hominum vita ad humani generis propagationem ſufficiebat.

§. II.

*Chriſtus Dominus in novo teſtamento diſpenſationem antiquis impertitam habendi plures uxores ſuſtulit.*

I. CONcluſionem hanc Concilium Tridentinum definivit *ſeſſ.* XXIV. *can.* 2. his verbis: *Si quis dixerit licere Chriſtianis plures ſimul habere uxores, & hoc nulla lege divina eſſe prohibitum; anathema ſit*. Addit inſuper ibidem, eiuſmodi matrimonium cum pluribus uxoribus non modo prohibitum eſſe lege evangelica, verum etiam irritum & inane. Hæc Tridentini doctrina ex Evangelio hauſta eſt. Nam Chriſtus Dominus a Phariſæis rogatus, an liceret homini dimittere uxorem *Matth.* XIX. reſpondit: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & feminam fecit eos?.. Et erunt duo in carne una. Itaque iam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudii, & dimittere? Ait illis: Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic*. Hanc doctrinam confirmat S. Paulus, & *I. Cor.* VII. & *ad Rom.* VII.

II. Conſtat etiam hæc veritas perpetua Eccleſiæ traditione. Unum & alterum teſtimonium allegare brevitatis gratia ſufficiat. Concilium Milevitanum *II. can.* XVII. inquit: *Placuit ſecundum evangelicam, & apoſtolicam diſciplinam, ut neque dimiſſus ab uxore, neque dimiſſa a marito alteri coniungantur; ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur.*

III. S. Auguſtinus *de adulter. coniug. Lib. II. cap.* IV. hæc ſcribit: *Verba Apoſtoli toties repetita, vera ſunt, viva ſunt, plana ſunt. Nullius viri poſterioris mulier uxor eſſe incipit, niſi prioris eſſe deſierit. Eſſe autem deſinet uxor prioris, ſi moriatur vir eius, non ſi fornicetur*. Similia ſcribunt Innocentius I. *epiſt.* ad Exuperium *cap.* IV. Nicolaus I. *cap.* II. in Reſponſis ad conſulta Bulgarorum, Innocentius III. cap. *Gaudemus* de divortiis, Alexander III. cap. *Licet* de ſponſa duorum.

IV. Opponunt. Valentinianus Imperator chriſtianus habuit uxores duas, Severam, & Iuſtinam; atque, ut teſtatur Socrates *Lib. IV. hiſt. cap.* XXXI. publico edicto conceſſit cuilibet ut plures, ſi vellet, uxores duceret: & contra hoc edictum Epiſcopos reclamaſſe non legitur. Reſp. Valeſius, & alii commentitiam & falſam hanc Socratis narrationem aiunt. Idque colligunt ex ſilentio Damaſi Romani Pontificis, aliorumque Epiſcoporum, apud quos nulla eſt huius edicti, vel coniugii cum Iuſtina mentio. Immo neque ethnici hiſtorici huius facti meminerunt. Tandem, etiamſi verum eſſet quod Socrates narrat, ſcelus graviſſimum perpetraſſet Valentinianus, non legem iuſtam tuliſſet.

X. Inſtant: Gregorius II. *epiſt.* XIV. ad Bonifacium, quæ habetur XXXIII. *quæſt.* VII. cap. *Quod propoſuiſti*, ſecundam uxorem permittit viro cuidam uxorem ægrotantem habenti. Reſp. Alii volunt, hoc Gregorii reſcriptum eſſe ſuppoſititium: alii communiter reſpondent, Pontificem conceſſiſſe illi alteram ducere uxorem, quia coniugium cum priore ob eius perpetuam impotentiam invalidum erat.

VI. Quæſt. unic. *An omnes etiam infideles, nedum Chriſtiani, Chriſti lege conſtringantur?* Reſp. Affirmant Theologi omnes. Lex enim evangelica univerſalis eſt. Hinc Innocentius III. cap. *Gaudemus*, de divortiis docet, infideles plures habentes uxores, ſi ad fidem convertantur, prima retenta, dimittere ceteras debere.

§. III.

*De polygamia ſucceſſiva.*

I. MOntaniſtæ, quibus acceſſit Tertullianus, & Novatiani, ut illicitas damnarunt ſecundas nuptias. Eccleſia catholica ſecundas, & ulteriores nuptias numquam generatim ſuaſit; ſed potius exoptaſſet ut ab iiſdem fideles abſtinerent. Hoc quippe conſilium eſt quod viduis præbet *I. Corinth.*

VII. Apoſtolus: *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt illis, ſi ſic permaneant... Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius vivit: quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt: cui vult, nubat, tantum in Domino. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium. Puto autem, quod & ego ſpiritum Dei habeam.*

II. Tertullianus *Lib. II. cap. 1. ad uxorem*, antequam ad Montaniſtas defeciſſet, inquit: *Apoſtolus de viduis quidem, & innuptis, ut ita permaneant, ſuadet, cum dicit:* Cupio omnes meo exemplo perſeverare. *De nubendo vero in Domino, cum dicit,* Tantum in Domino *iam non ſuadet, ſed exerte iubet.*

III. S. Hieronymus, acerrimus caſtitatis & continentiæ aſſertor, epiſt. ad Geruntiam hæc ſcribit: *Quid igitur? Damnamus ſecunda matrimonia? Minime, ſed prima laudamus. Abiicimus de Eccleſia bigamos? Abſit. Sed monogamos ad continentiam provocamus... Aliud eſt quod vult Apoſtolus; aliud quod cogitur velle..... Duæ ſunt Apoſtoli voluntates: una qua præcipit.... altera, qua indulget..... vult nos permanere poſt nuptias, ſicut ſeipſum. Sin autem nos viderit nolle quod ipſe vult, incontinentiæ noſtræ tribuit indulgentiam.* Non ergo ſecundas, & ulteriores nuptias improbat Hieronymus, ſed incontinentiam eorum vellicat qui pluries nubant. Narrat enim ibi, ſe Romæ vidiſſe *duo inter ſe paria viliſſimorum e plebe hominum comparata, unum qui viginti ſepeliſſet uxores, alteram quæ vigeſimum ſecundum habuiſſet maritum, extremo ſibi, ut putabant, matrimonio copulatos... Quid dicemus tali mulieri? Nempe illud quod Samaritanæ: Viginti duos habuiſti maritos, & iſte a quo ſepeliris, non eſt tuus.* Effrænatam mulieris incontinentiam S. Doctor carpit; minime vero matrimonium, ut nullum, improbat: quemadmodum luculentius ſe explicat in Apologia librorum adverſus Iovinianum *cap. VII.* ubi inquit: *Ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Eccleſia bigamiam, immo nec trigamiam; & ita licere quinto, & ſexto, & ultra, quomodo & ſecundo marito nubere. Sed quomodo non damnantur iſtæ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia miſeriæ ſunt, non laudes continentiæ.*

IV. Tametſi numquam Eccleſia ſecundas nuptias prohibuerit ut noxias; primis tamen ſeculis Eccleſia præſertim Græca ſeveræ pœnitentiæ ſubiecit bigamos & trigamos; ut ex pluribus ſacris canonibus compertum eſt. Unam ex multis referre ſufficiat. S. Baſilius in ſua ad Amphilochium epiſtola *can. IV.* hæc habet. *Trigamorum, & polygamorum eumdem canonem definimus quem in bigamis proportione. Annum enim in bigamis, alii vero duos annos, trigamos autem ſæpe tribus, & quatuor annis ſegregant.... Conſuetudine autem accepimus in trigamis quinquennii ſegregationem non a canone, ſed ab eis qui præoccuparunt, conſequenti. Oportet autem non eos omnino arcere ab Eccleſia, ſed dignari auditione duobus vel tribus annis: & poſtea permittere quidem conſiſtere, ſeu in ſtatione eſſe congregatione, ab omni tamen communione abſtinere; & ſic poſtquam pœnitentiæ fructum ullum oſtenderint, communionis loco reſtituere.* Hac pœnitentia tempore S. Baſilii bigami, & trigami plectebantur. Plura tranſcribere ex Tertulliano, Origene, Conciliis Ancyrano, Laodiceno, aliiſque poſſem, quæ, ne ſim longus, miſſa facio.

V. Qui ſecundas nuptias contrahebant, Sacerdotis benedictione, & eleemoſynis Eccleſiæ privabantur. Hinc ratas quidem & legitimas fuiſſe nuptias illas in ratione contractus, minime vero rationem habuiſſe veri ſacramenti, cum benedictione caruerint Sacerdotis, plures docent. Baſilius Macedo Imperator apud Græcos ſeculo IX. omnium primus tertias nuptias illicitas, quartas nullas & irritas declaravit; ut habetur in eiuſdem *Novella*, quæ incipit, *Non licere ad quartas nuptias tranſire*. Leo Imperator, dictus Sapiens, & Baſilii filius, conſtitutionem edidit in iure orientali XCI. in qua ſtatuit, ut *qui tertias nuptias contrahunt, pœnis eccleſiaſticis ſubiiciantur*. Verum hic Imperator, *tertia defuncta, quartam uxorem accepit*, inquit Cardinalis Baronius ad an. 901.

VI. Concilium Toletanum XIII. an. 683. Reginis Hiſpaniarum ſecundas nuptias non permittebat. Ius ipſum civile pœnis viduas plectit quæ ante elapſum integrum ab obitu mariti annum ad ſecundas nuptias tranſeunt. Et ut multa paucis perſtringam, ſemper Eccleſia exoptavit ut a ſecundis nuptiis fideles abſtinerent. Et quamvis ſeverior antiquæ Eccleſiæ diſciplina deſierit; tamen vel apud ipſum vulgus, qui ſecundas nuptias contrahunt, quamdam admirationem ingerunt. In villis & pagis, ubi antiqui mores diutius perſeverant, iuvenes, & pueri ipſi crepitacula pulſant, vociferantur, ſibilis excipiunt viduas ad ſecundas nuptias convolantes, & ſæpe vociferari non deſinunt, niſi dum bigami vexationem aliquibus nummuſculis rediment.

VII.



VII. Non ſemper tamen incontinentia, ſed neceſſitas, aut ſaltem iuſta cauſa ad ſecundas impellit nuptias. Viduas quæ neceſſitatis ſpecie obvelare ſuam libidinem ſtudent, illis deterret *Lib. de vid.* S. Ambroſius. *Ne dicerer, Deſtituta ſum; querela nupturæ eſt. Ne dicerer, Sola ego ſum; Caſtitas ſolitudinem quærit, pudica ſecretum, impudica conventum. Patrimonium tuum tueri? Munus pudoris eſt patrimonium, quod melius regit vidua quam nupta. Sed vir moleſtus? Licet. Non debet tamen ſimplex voluntas conſilium non quæri, cui fungitur. Si honeſtum petis, facere. Si incongruum, fuge. Ne accuſes Deum, ne accuſes propinquos, quod præſidia tibi deſint: utinam non deſit conſilium. Ne te conſolare liberis dicas, quibus maritum eripis. Neque quidquid licet, decet. Licet nubere, ſed pulchrius eſt abſtinere. Sunt vincula nuptiarum bona multis amoris gratia, ſed maior eſt ſervitus. Maritis enim neceſſitatibus ab utroque ſervitur, ut temperavit ſuavi iugo ſubducere caput, cum alterius intemperantiæ ſerviendum ſit; ſed relinquendum eſt ut unaquæque ſe pendat, non auctoritate aliqua præcepti, ſed incremento gratiæ provocata. Etenim præceptum in ſubditos fertur, conſilium amicis datur. Ubi præceptum eſt, ibi lex eſt; ubi conſilium, ibi gratia eſt. Sed conſilium ſobriis, non ebriis datur. Habeat [illegible] verecundiam, honeſta conſilium.*

VIII. Nulla afferri ratio poteſt cur ſecundæ potius quam primæ nuptiæ noxiæ ſint. Matrimonium enim uno ſoluto cum ſoluta eſt. Poteſt vidua poſt mariti mortem ſoluta & libera eſt. Ergo æque licet nubere ſecundo, tertio, quarto, & ultra, quam primo.

# CAPUT VIII.

*De indiſſolubilitate vinculi coniugalis.*

Difficillimam, & undique certis circumſeptam ambagibus controverſiam diſpiciendam aggredimur. Fœdus coniugale quamquam natura ſua firmum, ſtabile, perpetuumque ſit; tamen variis hominum conſuetudinibus, & moribus nimium luxurioſis, labefactatum, fractumque paſſim eſt. Græci, Romanique uxorum repudia ob ſterilitatem, & moroſitatem in more habuere, non tamen pro arbitrio, ſed coram Cenſoribus, legitima cauſa probata, atque iureiurando confirmata. Repudii formula hæc apud Romanos obtinebat: *Res tuas tibi habeto: res tuas tibi agito.* Per quinque tamen ſecula nullum apud Romanos repudiatæ uxoris exemplum occurrit. Primus qui uxorem repudiavit, fuit Spurius Carvilius ſterilitatis cauſa, *qui* (ſcribit Valerius Maximus *Lib. II. cap. 1.*) *quamquam tolerabili cauſa motus videbatur, reprehenſione tamen non caruit.* De Iudæorum repudio ſermo erit infra. Dividimus hanc controverſiam in ſequentes §§. tribus.



## §. I.

*Firmum & indiſſolubile eſt matrimonium utroque iure, naturali, & divino.*

I. PRincipio Theologi diſtinguunt matrimonium legitimum, ratum, & conſummatum. Legitimum vocant & verum, quod iuxta præſcriptas leges perſonæ nullo irritæ impedimento contrahunt: & hoc matrimonium vel ipſi infideles celebrant. Ratum ineunt Chriſtiani, cui ex baptiſmo maior accedit firmitas. Conſummatum vocatur quod carnali copula perficitur.

II. Firmitatem & perpetuitatem matrimonii ab ipſo naturæ iure manare, inde patet, quod matrimonium ſit animorum, corporumque coniunctio ad individuam vitæ ſocietatem. Huic autem individuæ ſocietati, & animorum nexui directe adverſatur ſeparationis libertas. Continuo enim amor languescit, dum videt liberum eſſe parti coniunctæ diſcedere, aliamque inire ſocietatem; contra fervet, & inflammatur neceſſitate perpetuæ coniunctionis.

III. Doctor Angelicus hanc iuris naturæ indiſſolubilitatem repetit ex matrimonii fine, qui eſt ſobolis procreatio, & educatio. Hæc enim in *Suppl. quæſt.* LXVII. *art. 1.* ſcribit: *Matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non ſolum ad aliquod tempus, ſed per totam vitam prolis. Unde de lege naturæ eſt quod parentes filiis theſaurizent, & filii parentum hæredes ſint..... Et ideo cum proles ſit commune bonum viri & uxoris, oportet eorum ſocietatem perpetuo permanere indiviſam ſecundum legis naturæ dictamen. Et ſic inſeparabilitas matrimonii eſt de lege naturæ.* Plura alia rationum momenta exhibet *Lib. III. cont. Gent. cap.* CXXIII. quæ videri poſſunt. Nec eſt quod ſterilitatem opponat, quoniam hæc præter naturam eſt, & per accidens: natura enim ſua fecundum matrimonium eſt.

IV. Hanc naturalem matrimonii ſtabilitatem & perpetuitatem iure ſuo divino Deus confirmavit in ipſa primæva eiuſdem inſtitutione, ut ex *Gen. cap. II.* patet. *Erunt duo in carne una.* Indiſſolubilitatem eamdem Chri-

ſim roboravit *Matth.* xix. inquiens: *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro . . . . Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.*

V. Univerſam hanc doctrinam confirmat Tridentinum *ſeſſ.* xxiv. *cap. unic. de matrim.* inquiens: *Matrimonii perpetuum indiſſolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus inſtinctu pronunciavit cum dixit: Hoc nunc os* &c. Deinde Chriſti confirmationem aſſignat. *Ejuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tanto ante pronunciatam, his verbis confirmavit: Quod ergo Deus conjunxit* &c. Et tandem anthema in eos intorquet qui *aſſerunt errare Eccleſiam, cum docuit, & docet, juxta evangelicam, & apoſtolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi.*

VI. Opponunt. Quod iure naturali indiſſolubile eſt, nulla ſolvi auctoritate poteſt. Deus in veteri lege ſolvendi matrimonii facultatem conceſſit. Ergo naturæ iure matrimonium non eſt indiſſolubile. Reſp. ex iis quæ ſupra dicta ſunt, ſolutio patet. Alia ſunt iuris naturæ principia prima, & immutabilia, quæque intrinſecam claudunt malitiam. Hæc nulli ſubſunt diſpenſationi, neque divinæ. Alia ſunt ſecundaria, & mutationi obnoxia. Neque ab iſtis aliqua humana poteſtas diſpenſare valet: quia nullus homo univerſam naturæ ſphæram comprehendere poteſt. Solus Deus, totius naturæ, & omnium quæ eamdem conſequuntur, moderator & comprehenſor, poteſt pro temporum diverſitate, & circumſtantiarum varietate diſpenſare ab iſtis quæ intrinſecam malitiam non includunt. Plura alia objecta diluta lege apud S. Thomam *loc. cit.*

## §. II.

*De indiſſolubilitate matrimonii contracti ab infidelibus. Quomodo per unius conjugis converſionem ad fidem matrimonium ſolvatur.*

I. VErum & legitimum matrimonium contrahi apud infideles, dictum iam eſt. Siquidem cum matrimonium contractus ſit naturalis, celebrari legitime in quacumque religione poteſt. Porro cum eiuſdem principalis finis ſit generatio & educatio prolis, conſequitur, matrimonium infidelium indiſſolubile eſſe.

II. Quæſt. I. *Quando ambo conjuges ad fidem convertuntur, ſolvitur ne eorumdem matrimonium?* Reſp. Negant Theologi omnes, idque colligitur ex S. Paulo *I. Cor.* vii. inquiente: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Porro ſi vir fidelis habitare cum uxore infideli poteſt, tanto magis, ſi ambo convertuntur ad fidem, cohabitare ſimul debent. Si vero infidelis, repudiata uxore ſua, aliam duxerit, & deinde ad fidem convertatur, tum cogendus eſt ut priorem recipiat, dimiſſa poſteriore, cum repudium prioris nullum fuerit; indiſſolubile enim eſt vinculum matrimoniale ipſa naturali lege, qua obſtringuntur & ipſi infideles. Si autem prior illa uxor repugnaret habitare cum marito Chriſtiano facto, tum vir fidelis poſſet ſecundam ducere; ut declaravit Innocentius III. cap. *Gaudemus*, ubi etiam definitum eſt, quod ſi vir infidelis plures habens uxores convertatur ad fidem, debet, ſola prima uxore retenta, ceteras dimittere.

III. Quæſt. II. *Quando maritus infidelis amplectitur fidem Chriſti, poteſt ne habitare cum ſua uxore infideli?* Reſp. Si uxor infidelis pacifice cohabitare primis Eccleſiæ ſæculis voluiſſet cum marito fideli facto, licita erat cohabitatio: ut ex *I. Cor. cap.* vii. clare patet. *Sanctificatus enim eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem.* Diſputant Theologi, fuerit ne tunc hæc cohabitatio neceſſaria ex præcepto, an ſolum ex conſilio. Pontius *Lib. VII. c.* xlviii. ex præcepto, Sanchez *Lib. VII. diſp.* lxxiii. ex conſilio fuiſſe contendit. Alii non divinum, ſed humanum mandatum agnoſcunt, quatenus Apoſtoli iudicarunt congruum tum temporis fuiſſe, ne maritus fidelis diſcederet ab uxore infideli, quæ ſine contumelia Creatoris habitare pacifice cum ſuo fideli marito volebat; tum ne Pagani deterrerentur ex tali ſeparatione; tum ut uxores infideles facilius imbui in chriſtianæ religionis myſteriis poſſent. Sæculo v. licitum erat marito fideli habitare cum uxore infideli, ut ex S. Auguſtino colligitur. Immo Innocentius III. cap. *Gaudemus*, de divortiis hæc ſtatuit. *In favorem chriſtianæ religionis & fidei, a cuius perceptione per uxores ſe deſeri timentes viri, poſſent facile revocari, fideles huiuſmodi licite matrimonialiter copulatis libere poſſunt, & licite remanere coniuncti; cum per ſacramentum baptiſmi non ſolvantur coniugia, ſed crimina dimittantur.* Diſputant Theologi, utrum licita in præſentia ſit hæc cohabitatio mariti fidelis cum uxore infideli, quæ permanere abſque contumelia Creatoris in coniugio deſiderat. Communis ſententia affirmat, nullam extare ſcriptam legem



legem quæ talem cohabitationem prohibeat. Conſuetudo tamen obtinet oppoſita, ut cunis illicita abſolute eſt eiuſmodi cohabitatio, iis exceptis caſibus, in quibus valida argumenta apparerent prudenter ſperandi uxoris converſionem.

IV. Quæſt. III. *Quando unus coniugum convertitur ad fidem, altero in infidelitate remanente, quem ſequi proles debet?* Reſp. Si proles doli capax eſt, ſua fruitur libertate; & ſuſcipere, vel reiicere religionem chriſtianam, quam profeſſus pater eſt, valet. Si proles rationis uſu deſtituta fuerit, tunc illum parentem qui converſus ad Religionem eſt, ſequi debet. In dubio, an proles pro ſua ratione ſit, in religionis favorem iudicandum eſt. Hinc ſi pater fidelis eſt, & proles trienno minor, ad patrem; contra, ſi mater fidelis ſit, & proles trienno maior, ad matrem attinere educationem iudicandum eſt; licet abſolute, quando proles eſt trienno minor, ad matrem, & quæ eſt trienio maior, ad patrem pertineat.

V. Quæſt. IV. *Si coniux infidelis conſentiat habitare pacifice cum coniuge fideli, poteſt ne fidelis coniux aliam ducere?* Reſp. Bellarminus affirmat; alii negant; alii diſtinguunt. Tempore quo licita cohabitatio erat, ſolvi non poterat matrimonium; nunc vero, quo illicita eſt cohabitatio, ſolvi poſſe, affirmant. Sed negativam ſententiam aperte defendit S. Auguſtinus *Lib. I. de adulter. coniug. cap.* xvii. his verbis: *Propter quodlibet tamen fornicationis genus, ſive carnis, ſive ſpiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimiſſo viro non licet alteri nubere, & dimiſſa uxore non licet alteram ducere; quoniam Dominus, nulla exceptione facta, ait: Si quis dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, moechatur.* Innocentius III. cap. *Gaudemus* hanc eamdem ſententiam docet, inquiens: *Niſi poſt converſionem illa veniat habitare cum ipſo, aut etiamſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum.* Advertendum tamen id quod ſupra indicatum eſt, tempore nempe Auguſtini, & Innocentii licitam fuiſſe cohabitationem fidelis cum infideli. Idcirco abſolute tunc contrahi a coniuge fideli aliud matrimonium non poterat. In præſens autem, cum illicita ſit talis cohabitatio, oppoſitam dicendum videtur.

VI. Si vero coniux infidelis refugiat ſidelitatem, aut cohabitare nolit abſque contumelia Creatoris, tunc coniux fidelis, illo deſerto, poterit aliud inire connubium, etiamſi præcedens conſummatum fuiſſet, ut expreſſe S. Thomas in *Suppl. quæſt.* lix. *art.* 5. docet, & in *I. Cor.* vii. ubi ait Apoſtolus: *Si infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi: in pace autem vocavit nos Deus.* Quæ verba exponens Angelicus *lect.* iii. inquit: *Hic autem dicit, quod ſi* (infidelis) *non vult cohabitare, non tenetur fidelis eum ſequi, ſed poteſt alteri nubere. Ubi primo ponitur ipſa conceſſio, ſecundo conceſſionis ratio duplex. Prima eſt libertas, ibi, Non enim ſervituti &c. Dicit ergo, quod ſi vir infidelis, vel mulier diſcedit a fideli odio fidei, diſcedat; & poteſt fidelis qui dimittitur, contrahere: primum enim matrimonium diſſolubile erat, quia nunquam fuit ratum.* Supra dictum eſt, illud eſſe matrimonium ratum quod a Chriſtianis iuxta Chriſti legem contrahitur. Hinc Angelicus *loc. cit. in Suppl. ad* 1. ait: *Matrimonium infidelium non eſt omnino firmum & ratum, ſed ratificatur poſtmodum per fidem Chriſti.* Matrimonio infidelium deeſt ultima perfectio, nempe educatio prolis iuxta legem Chriſti. Quamobrem licet infidelium matrimonium ſit legitimum & verum, non tamen ratum. Et quamquam etiam infidelium matrimonium ſit natura ſua indiſſolubile, nullaque creata poteſtate diſſolvi valeat, tamen hinc non ſequitur, nullum reperiri caſum poſſe in quo Deus ſolvere illud non poſſit. Nam in eadem Scriptura, ubi indiſſolubile matrimonium aſſeritur, caſus exceptio apponitur. Si fideles poſt contractum matrimonium in hæreſim, vel infidelitatem prolabantur, illorum matrimonium firmum & indiſſolubile perſeverat; ut definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxiv. *can.* v. inquiens: *Si quis dixerit propter hæreſim, aut moleſtam cohabitationem . . . . . . diſſolvi poſſe matrimonii vinculum: anathema ſit.*

VII. Quando unus coniugum infidelium convertitur ad fidem, matrimonium non ſolvitur per baptiſmi ſuſceptionem, ſed ſolum per nuptias ſubſequentes. Quamvis enim coniux infidelis pervicax, & Chriſto iniurioſus iuſtam diſſolvendi vinculi coniugalis cauſam præbeat; tamen reipſa non diſſolvitur niſi ſecundo nuptiarum contractu. Si vero infidelis coniux ante matrimonium a fideli coniuge contractum ſecundas nuptias celebraret, nulla illæ eſſent: & ſi ad fidem converteretur, ſeparandus eſſet: quia privilegium diſſolvendi vinculi coniugalis in favorem dumtaxat fidei, non infidelitatis, conceſſum

ceſſum a Chriſto eſt, ut habetur cap. *Quinto de divortiis*. Similiter ſi fidelis poſt monitum infidelem conjugem obſtinatum in infidelitate contrahat matrimonium, deinde iſtud ſecundum ſolvatur per mortem conjugis, tunc fidelis ille non teneretur redire ad priorem conjugem infidelem, etiamſi ad fidem converteretur. Quoniam cum prius matrimonium legitime ſolutum fuerit, liber fidelis evaſit, atque adeo poteſt, vel non poteſt ad priorem conjugem redire, in caſu mortis ſecundæ uxoris. Monendam tamen uxorem infidelem, antequam ad ſecunda vota tranſeat, an velit legitime cohabitare, docet Gregorius XIII. teſte Baſilio Poncio *Lib. VII. cap.* xlviii. Quando conjux fidelis tranſit ad ſecundas nuptias propter obſtinationem conjugis infidelis, etiam iſte liber manet ad aliud matrimonium contrahendum. Vinculum enim reſpectu utriuſque legitime ſolutum eſt. Similiter matrimonium infidelium etiam conſummatum ſolvitur per profeſſionem ſolemnem alicujus Ordinis approbati; ſicut ſolvitur matrimonium fidelium non conſummatum.

§. III.

*Utrum matrimonium Judæorum per libellum repudii fuerit ſolutum.*

I. DIvortium eſt ſeparatio quantum ad torum, & cohabitationem. Repudium vero preſſe acceptum præfert vinculi conjugalis diſſolutionem. Libellum repudii permiſſum Judæis fuiſſe, habetur in *Deut. cap.* xxiv. Neque de hac permiſſione diſſidium eſt.

II. Diſputant vero in partes plures Theologi ſuper Judæorum repudio. Primo quærunt, num licitum fuerit hoc Judæorum repudium. Secundo, an poſt datum libellum repudii validum contrahi matrimonium potuerit.

III. S. Thomas in *Suppl. qu.* lxvii. quatuor articulis verſat hanc controverſiam, ſed ſemper modo problematico, quin in alterutram opinionem ſe declinare aperte oſtendat. S. Hieronymus, S. Bonaventura, Eſtius, Sylvius defendunt, libellum repudii fuiſſe vitandi majoris mali cauſa, & ad eorum cordis duritiem a Deo permiſſum; minime tamen licitum fuiſſe; & multo minus per illud repudium diſſolvi vinculum conjugale.

IV. Scotus, Durandus, Paludanus, Abulenſis, Petrus Soto, Bellarminus, & alii plures ſuſtinent, Deo diſpenſante, licuiſſe Judæis repudium, illoque, abrogato priori matrimonio, conceſſam fuiſſe poteſtatem ſecundas nuptias celebrandi. Hæc ſecunda ſententia ſequentibus argumentis nititur.

V. Mulier dimiſſa alterum maritum ducebat, ut *Deuter. cap.* xxiv. habetur. *Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam .... non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Si prius matrimonium conſtitiſſet, non maritus, ſed adulter dicendus fuiſſet vir ſecundus. Deinde prior maritus prohibetur repudiatam uxorem etiam redeuntem ſuſcipere. Id ne jure prohiberetur, ſi revera illius uxor eſſet? Quid quod repudium iniquum appareret, ſi vinculum matrimonii non eſſet ſolutum? Vir quippe repudians tunc temporis non unam, ſed plures ducere uxores poterat. At uxor repudiata vinculo perpetuæ continentiæ ſubjecta fuiſſet: quod ſuppoſiti duriſſimum nimiam inæqualitatem inter maritum repudiantem & uxorem repudiatam præfert. Quid quod neque Moyſes, neque Sacerdotes unquam reprehendiſſe leguntur ſecundas nuptias uxoris repudiatæ, non omiſſuri certe increpationem, ſi adulterina fuiſſent poſteriora conjugia?

VI. Altera ſententia hæc pro ſe argumenta promit. Chriſtus *Matth.* xix. ait, Moyſem permiſiſſe repudii libellum ad cordis duritiem Judæorum. Non ergo licitum repudium erat. Reſpondent prioris ſententiæ defenſores, Chriſtum Dominum ſignificare legem repudii conceſſam fuiſſe ad præcavenda majora mala, nempe uxoricidia, & alia abſurda. Non inde tamen ſequitur, inquiunt, diſpenſationem nullam fuiſſe, & eadem utentes peccaſſe; ut in *IV. diſt.* xxxiii. *q.* ii. *art.* i. *ad* 4. docet S. Thomas. *Sicut quædam permittuntur infirmis corporaliter quæ non permittuntur ſanis; nec tamen infirmi peccant, permiſſione ſibi facta utentes.*

VII. Secundo. Uxor repudiata, & alteri nupta abominabilis, & polluta coram Domino dicitur *Deut.* xxiv. Reſpondet in *Suppl. quæſt.* lxvii. *art.* 4. ad 5. S. Th. *Dicitur polluta eo modo quo immundus dicebatur qui mortuum tangebat, vel leproſum, non immunditia culpæ, ſed cujuſdam irregularitatis legalis.*

VIII. Tertio. Eo modo Deus Judæis libellum repudii permiſit quo acciperes uſuras ab alienigenis conceſſit. Sed uſurarum exactio numquam fuit licita. Ergo nec repudium. Reſp. Negant majorem. Fœnora enim abſolute vetita erant, & frequenter reprehenſi Judæi fuerunt ob fœnoris crimen,



numquam vero ob libellum repudii. Inſiſtunt. *Jeremiæ* iii. dicitur: *Si dimiſerit vir uxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, numquid revertetur ad eam ultra? Numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Tamen revertere ad me, dicit Dominus.* Reſp. Comparatio hæc, inquiunt, confirmat priorem ſententiam. Mulier repudiata non poterat a priori marito recipi, quia ſolutum erat matrimonii vinculum. Deus tamen ob infinitam ſuam clementiam populum Iſrael poſt multas fornicationes cum pluribus amatoribus, ſeu poſt multa idololatriæ ſcelera in gratiam recipiebat.

IX. Hæc ſunt utriuſque ſententiæ fundamenta. Controverſia tanti non eſt, ut ſeveriorem poſtulet diſcuſſionem. Si tamen meum judicium poſtulas, probabilius mihi videtur per libellum repudii non fuiſſe vinculum conjugale ſolutum. Teſtimonium Chriſti *Matth.* xix. decretorium mihi apparet: et vel maxime quod Patres, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Iſidorus, Theophylactus perſpicue docent, vinculum conjugale præſto libelli repudii ſolutum non fuiſſe. Hanc ſententiam communiorem appellat S. Thom. & in eamdem tandem illum conceſſiſſe oſtendit Franciſcus Sylvius. Accedit quod hæc ſententia conformior ſit principiis inconcuſſis, ab utraque parte admiſſis. Verum, ut dixi, res tanti momenti non eſt, ut majores poſtulet curas.

§. IV.

*Utrum Chriſtianorum matrimonium dirimatur per adulterium.*

I. ITA obſcura, & implicata ipſi Aquilino Doctori Auguſtino viſa eſt quæſtio iſthæc, ut *Lib. de fid. & bon. oper. cap.* xix. ſcripſerit. *Quiſquis uxorem in adulterio deprehenſam dimiſerit, & aliam duxerit, non videtur æquandus eis qui excepta cauſa adulterii dimittunt, & ducunt; & in ipſis divinis Scripturis ita obſcurum eſt, utrum & iſte, cui quidem ſine dubio adulteram licet dimittere, adulter tamen habeatur, ſi alteram duxerit, ut, quantum exiſtimo, venialiter ibi quiſque fallatur.* Venialiter tamen decepti non fuere Lutherus, Bucerus, Kemnitius, Melanchthon, & alii Novatores, qui contra Eccleſiæ decreta dirimi per adulterium matrimonium perfracte docuerunt. Ven. Bellarminus Eraſmum præiviſſe in hoc errore Lutherum contendit. Propoſitiones Eraſmi eura ad hanc rem attinentes damnavit Univerſitas Pariſienſis. Adverſus Univerſitatis hujus cenſuram apologiam ſcripſit Eraſmus, qua propoſitiones ſuas catholicum excipere ſenſum, & perperam cenſura notatas contendit.

II. Launoius in ſuo de *regia poteſtate in matrimonium* tractatu Auctorum plurium tum Græcæ, tum Latinæ Eccleſiæ teſtimonia a Chriſto ad Tridentinum uſque infarcit, quibus oſtendere nititur, per adulterium diſſolvi conjugale vinculum; licitumque fuiſſe ante Tridentinum conjugi rejicienti adulteram ad ſecundas convolare nuptias. Tridentinum canonem contendit Launoius ad diſciplinam, non ad dogma pertinere. Quod commentum, temeritatis, & audaciæ plenum, catholici Theologi omnes explodunt.

III. Apud Græcos praxim diu obtinuiſſe, quod adulterium matrimoniale vinculum abrumpat, factum eſt extra controverſiam poſitum; ut Goarius in notis ad Euchologium Græcorum probavit. Illius corruptæ diſciplinæ origo obſcura eſt. Recentiores Græci vetuſtam, & a primis ſeculis ortam jactant. Arcudius de matrimonio moderniorum Græcorum doctrina & diſciplina in hac cauſa defeciſſe contendit. Juſtinianus Imperator ſeculo vi. lege civili ſanxit, licitum eſſe, repudiata adultera uxore, aliam ducere: & hoc alias civiles leges ante ipſum permittebant. In has leges ſeculo iv. invecti ſunt Chryſoſtomus, Gregorius Nazianzenus, & ex Latinis Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Gregorius Magnus. Ex his legibus a laica poteſtate latis ſenſim manavit Græcorum diſciplina, altioreſque egit radices. Hinc eſt quod nec Nicolaus I. in diſſidio cum Photio habito, nec Innocentius III. in Concilio Lateranenſi, nec Gregorius X. in Synodo Lugdunenſi exprobraverint matrimonii ſolutionem adulterii cauſa: quia ſilentium aut praxis Græcorum tum temporis adeo univerſalis non erat, aut prudenti diſſimulatione, quod profectum non ſperarent, ſilentio id prætereundum exiſtimarunt.

IV. Tempore Concilii Tridentini Græci Sereniſſimæ & immortali Reipublicæ Venetæ ſubjecti, prædictæ adhærebant praxi. In horum favorem Veneti Oratores curarunt ut Tridentini Patres decretum adverſus eos qui ſolvi matrimonium adulterii cauſa propugnabant, latum ſalva veritate delinirent, ut Cardinalis Pallavicinus narrat.

V. Arcudius ne unum quidem antiquum Scriptorem Græcum propugnaſſe matrimonii ſolutionem adulterii cauſa contendit. Lan-

den-

XI. Teſtimonia Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, Gregorii Magni, aliorumque Latinæ Eccleſiæ Patrum prætereo; cum planum ſit illos catholicum dogma propugnaſſe. Eccleſiæ Græcæ Patres opponit *loc. cit.* Launoius, garriens Patres Græcos docere, ſolvi nexum conjugalem fornicationis cauſſa. Aliquos Patres Græcos hac in controverſia erraſſe, ultro fatentur omnes, ſicuti in controverſia de baptiſmo ab hæreticis collato, & de beatitudine differenda ad judicii ultimi diem. Quid inde? Numquid ex hoc aut illo privato Auctore, quantumvis ſanctitate, & doctrina præſtanti, doctrina Eccleſiæ accipienda eſt? Si Launoius contendit, univerſam Eccleſiam Græcam docere ſolutionem vinculi conjugalis adulterii cauſſa, fateatur oportet, illam pugnare cum Eccleſia Latina. Nec eſt quod Launoius obtrudat, controverſiam hanc ad diſciplinam, non ad dogma pertinere: quandoquidem, tamquam fidei dogma, Eccleſia Latina propugnat veritatem hanc. Ceterum fallitur Launoius, dum ſuo errori favere Patres Græcos jactat, ut præſtantes Theologi jampridem demonſtrarunt. Pauca Græcorum Patrum teſtimonia hic ſubjicio.

XII. Hermas *Lib. II.* Paſtoris *mandato* IV. in titulo *de dimittenda adultera* hoc pacto Dominum rogat. *Si permanſerit in vitio mulier? Et dixit: Dimittat illam vir, & vir per ſe maneat. Quod ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur.... Propter pœnitentiam ergo non debet, dimiſſa conjuge ſua, vir aliam ducere. Hic actus ſimilis eſt in viro, & in muliere.*

XIII. S. Juſtinus Martyr *apolog.* II. inter chriſtianæ doctrinæ capita hoc recenſet. *Qui repudiatam a viro alteri duxerit, adulterium committit.*

XIV. Athenagoras in ſua percelebri apologia hæc ſcribit. *Ut natus eſt unuſquiſque noſtrum, manet, vel nuptiis copulatus unicis. Secundæ enim decorum quoddam adulterium ſunt. Qui enim uxorem ſuam dimiſerit, & duxerit aliam, adulteratur, inquit Dominus noſter: neque illam dimittere concedens, cujus nobilitata eſt pudicitia, neque alteram ducere.*

XV. S. Clemens Alexandrinus *Lib. II. Stromatum* ſub finem. *Quod autem conſulat Scriptura uxorem ducere, nec a conjuge umquam permittit diſcedere, legem aperte conſtituit. Non dimittes uxorem, præterquam propter fornicationem. Adulterium autem exiſtimat conjungi matrimonio, viro altero ex ſeparatis. Qui autem dimiſſam accipit uxorem, mœchatur eam: hoc eſt, cogit eam mœchari. Non ſolum autem qui dimiſit, eſt ejus cauſſa, ſed etiam qui eam ſuſcepit, præbens mulieri peccandi occaſionem: ſi enim non ſuſciperet eam, reverteretur ad virum.* Priorem textus partem truncatam refert Launoius, omiſſa poſteriore: & ſic frequenter lectoribus illudit.

XVI. Origenes Clementis diſcipulus commentario in *cap.* XIX. *Matthæi* inquit: *Contra Scripturæ legem mulieri, vivente viro, nubere quidem Eccleſiæ Rectores permiſerunt, agentes contra id quod ſcriptum eſt: Mulier alligata eſt, quanto tempore vir ejus vivit. Et contra illud:* Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. *Non omnino tamen ſine ratione: Hæc enim contra legem initio latam, & ſcriptam ad vitanda pejora, eos arbitrio morem gerentes conceſſiſſe veriſimile eſt.* Perſpicue declarat Origenes contra Scripturæ legem agere Epiſcopos qui ad majora vitanda mala, & ob duritiam cordis, quemadmodum Moyſes, permiſerunt uxori, vivente viro, alium ducere. Alia ſubdit Origenes, quæ haſtenus dicta implicare videntur. Subdit enim: *Servator noſter haudquaquam conjugibus ſolvendi propter ullum aliud flagitium facultatem concedens, quam ſolam fornicationem &c. in uxore deprehenſam.* Hic loqui Origenem de ſolutione quoad torum, ſecus quoad vinculum, animadvertunt Theologi plures ex verbis quæ continuo ſubjicit. *Tanta enim pati, & tolerare flagitia, quæ adulterio, & ſceleratione pejora cenſentur, plane a ratione videbitur eſſe alienum: cujus contra Scripturæ præceptum agens nemo eſt qui non impium eſſe conſiteatur.* Hinc patet Origenem loqui de ſeparatione quantum ad torum, ſecus quantum ad vinculum. Et quamvis aliqua Origenis verba ambigua ſint, perſpicue tamen fatetur, contra legem Chriſti eſſe, vivente conjuge, aliam ducere quacumque ex cauſſa.

XVII. S. Joannes Chryſoſtomus *hom.* XVII. *in Matth.* adverſus illum qui, cum dimiſiſſet uxorem, in cauſſa fuit cur alteri nuberet, hæc ſcribit: *Ille enim etſi alteram non duxerit, hoc ipſo ſe conſtituit criminis reum, quod adulteram fecit ex conjuge; hic vero excipiendo alienam adulter effectus eſt. Nequaquam enim mihi referas, quia illam alter ejicit: nam expulſa quoque uxor eſſe ejus qui eam expulit, perſeverat.*

XVIII. S. Gregorius Nazianzenus *carm.* II. hæc, interprete Billio, ſcribit:

*Perſpice, quanta premant ſexus incommoda cultus.*





*Femina non parva mercatur dote maritum:*
*Quodque etiam gravius, vitioſum ſæpe, &*
*inertem.*
*Rurſus emenda viro conjux, nec moribus illa*
*Prædita ſæpe bonis; quæſita attractaque*
*peſtis,*
*Peſtis quam nulla liceat ratione fugare.*

XIX. S. Baſilius *Lib. de virginitate* circa medium, ait, *mulierem, quæ vivente viro alteri nubit, mœchari .... Non audis, quod etiam, qui dimiſſam duxerit mœchatur? Etſi enim pro culpa dimiſſa eſt, attamen vivit vir ipſius.* Plura alia ſcribit S. Baſilius *can.* IX. & *can.* XLVIII. epiſtolæ ad Amphilochium, quæ ambiguam, obſcuramque illius doctrinam reddunt; ut teſtatur vel ipſe Arcudius. Nec ſolus Baſilius, ſed Epiphanius, & alii pauci Græci Patres ambigui in hac controverſia fuere. Theodoretus aperte oppoſitam propugnavit opinionem. Nec mirum, ut jam initio dixi, quod aliqui erraverint; cum nondum eſſet ab Eccleſia veritas decretoria ſententia definita.

XX. Ex quibus omnibus patet, communem primis ſæculis fuiſſe utriuſque cum Græcæ, tum Latinæ Eccleſiæ doctrinam. Quando Græci deficere ab Eccleſiæ Latinæ dogmate inceperint, ignoratur. Errandi illis occaſio fuerunt leges civiles, & aliquorum Patrum ſententiæ.

XXI. Concilium ergo Tridentinum doctrinam & ex Scripturis hauſtam, & apoſtolica traditione firmatam, definivit *ſeſſ.* XXIV. *can.* VII. his verbis. *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit, & docet, juxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimiſſa adultera, aliam duxerit, & eam quæ, dimiſſo adultero alii nupſerit: anathema ſit.* Accedit unanimis Theologorum conſenſus, quorum teſtimonia referre ſupervacaneum eſt.

XXII. Quæſt. unic. *An indiſſolubilitas vinculi conjugalis, etiam adulterii cauſſa, ſit dogma fidei?* Reſp. Launoius, ut jam indicavi, relatum Tridentini canonem, non doctrinam, ſed diſciplinam ſpectare contendit: quæ opinatio ab omnibus, ut manifeſtus error, exploditur. Doctrinam quippe evangelicam & apoſtolicam exponit canon ille, & anathema in Lutheranos, & Calviniſtas vibrat, quod oppoſitum propugnarent errorem.

XXIII. Honoratus Turnely *q.* III. *de matr. art.* 2. fatetur canonem præfatum ad doctrinam, non ad diſciplinam pertinere. Verum dogma fidei in eodem definiri aſſeverare non audet. Dubitandi rationem præbet canonis mutatio facta a Concilio. Nam ubi primum canon conceptus erat cum anathemate adverſus eos qui dicerent, diſſolvi matrimonium adulterii cauſſa, poſtea ad declinandum Græcorum rumorem, inſtantibus etiam Oratoribus Venetis, mutatus fuit & temperatus, ut *Lib. XX. c.* IV. *n.* 27. narrat Cardinalis Pallavicinus. *Canon quoque paratus fuerat cum anathemate in eum qui diceret matrimonia conſummata ob adulterium diſſolvi. Sed Oratores Veneti die* 11. *Auguſti* (*an.* 1563.) *cum ipſis poſterior modulus oſtenſus eſt, ſolemniter expoſuerunt Conventui, Venetam Rempublicam ſemper conjunctiſſimam fuiſſe apoſtolicæ Sedi, & Conciliis œcumenicis ejus auctoritate celebratis, proque ſemper ſtudio complexam ac veneratam decreta ſanctioneſque inde profectas, utpote divinam gloriam, animarum ſalutem, pacemque Chriſtianorum promoventia. Verum ab eo quod ſeptimo canone parabatur, niſi moderatione aliqua reformaretur, inferri poſſe non modicam offenſionem Orientis Eccleſiæ, præſertim vero Venetorum inſulis Cretæ, Cypro, Corcyræ, Zacyntho, Cephaloniæ, & aliis multis, non ſolum cum publicæ quietis, ſed cum Eccleſiæ catholicæ detrimento. Compertum eſſe Patribus, tametſi græca Eccleſia a Romana ex parte diſſentiret, non tamen eo deſperationis deventum eſſe, ut meliora ſperari non poſſent; præſertim cum Græci in ſubjectis Reipublicæ locis degentes, quamvis ritu ſuo viverent, tamen Præſulibus a Romano Pontifice aſſumptis obtemperarent. Ea propter tum rerum convenientia, tum Oratorum munere ſe compelli, ne ipſi eos populos perculi ſinerent ejuſmodi anathemate, quo ad tumultum, integramque a Sede Apoſtolica ſeceſſionem provocarentur. Satis conſtare, in more poſitum apud Græcos, ut uxorem adulteram deſerant, & aliam ducant, veterrimam majorum conſuetudinem, ut ipſi dicunt, ſecuti. Nec idcirco illos damnatos, aut anathemate perculſos fuiſſe ab ulla Synodo œcumenica, etiamſi Romana & catholica Eccleſia hujuſmodi liquido mos innotuiſſet. Exiſtimare igitur Oratores ſui muneris eſſe, quam efficaciſſime poſſent, poſtulare ut vocer illa canonis adeo moderato lenirentur, ut Græcis detrimentum inferrent, præſertim intentato anathemate: quod dubium non erat confici poſſe, non ſolum nulla parta Eccleſiæ catholicæ indignitate, ſed fortaſſe retenta plurimum Doctorum reverentia. Poſſe, quantum ipſi reban-*

*tur, & obtineri quod Synodus intendebat, & Reipublicæ ſatisfieri, canone eiuſmodi verbis conflato. Anathema ſit, ſi quis dixerit, ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, quæ mater eſt, & magiſtra aliarum, erraſſe, & errare, cum docuit, docet* &c.

XXIV. Purpuratus Hiſtoricus *loc. cit. n.* 30. redarguit Petrum Suavem, ſcribentem mutationem canonis *errorum, & utilitatis, affectuſque vacuam.* Factum evincit canonis mutationem effectus vacuam non fuiſſe; cum & Venetis Oratoribus ſatisfactum reipſa fuerit, & Græcorum offenſio, ac tumultus declinatus. Ceterum vacua effectus fuit, quod veritas catholica nihil detrimenti ex illa diverſa verborum collocatione paſſa ſit. Et fatetur ipſe Pallavicinus inter primum & poſteriorem canonem diſcrimen eſſe penes verborum ſonitum. *Revera diſcrimen eſt, quamvis ſubtilius. Sed etiamſi non fuiſſet, convenientius fuiſſet Reipublicæ ſatisfacere, eam mutationem petenti, ubi per commutatus ſonus, non autem ſignificatio variaretur.* Subdit ibidem Pallavicinus, Epiſcopum Legionenſem Venetorum poſtulationi interceſſiſſe: *quia non ſolet ab Eccleſia uſurpari hæc damnandi formula: Si quis dixerit, Eccleſiam errare. Hanc veritatem* (nempe indiſſolubile eſſe vinculum coniugale, etiam adulterii cauſſa) *eſſe certam, ac firmatam in Synodo Milevitana, in ſexta œcumenica, & in Florentina.* Concluditque Hiſtoricus: *Credendum eſt, ſi Cueſtæ locus loquendi inter primos obtigiſſet, ſicut inter poſtremos debebatur in Conventu, tantum ab eo momentum aſſeclarum pertractum iri, quantus ad refellendam petitionem Oratorum Venetorum ſatis fuiſſet.*

XXV. Utcumque res iſta ſe ſe habeat, cuicumque ſerio perpendenti canonem reſcriptum Tridentinum, adeo compertum exploratumque eſt, dogma fidei in eodem definiri, ut nec levis ambigendi locus remaneat. Et ipſe citatus Turnely, his omnibus expenſis, quod primum auſus non fuerat aſſeverare, tandem fatetur, nempe fidei dogma in hoc canone definitum haberi. Canone illo anathema in eos pronunciatur qui dixerint, *Eccleſiam errare, cum docuit, & docet iuxta evangelicam & apoſtolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum, matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi.* Ab hæreſi ne immunis eſt qui evangelicam & apoſtolicam doctrinam inficiatur? Tridentinum definit indiſſolubilitatem coniugalis vinculi eſſe doctrinam evangelicam & apoſtolicam. Ergo oppoſita ſententia error eſt, doctrinæ evangelicæ & apoſtolicæ directe contrarius. Rurſus erratne œcumenicum Concilium, cum hoc definit? Si ais; hæreſim pronuntias. Si negas; ergo doctrina definita in Concilio evangelica eſt & apoſtolica. Atqui negare doctrinam evangelicam & apoſtolicam manifeſta hæreſis eſt. Ergo doctrina indiſſolubilitatis nexus coniugalis, etiam adulterii cauſſa, dogma fidei eſt. Ergo qui aſſerunt matrimonium adulterii cauſſa diſſolvi poſſe, contradicunt evangelicæ & apoſtolicæ doctrinæ. Errant ergo contra fidei dogma Græci, affirmantes adulterii cauſſa reſcindi matrimonium poſſe. Ergo errant in fidei dogmate. Nulla ad effugium rima patet. Aut erravit Tridentinum, definiendo indiſſolubilitatem matrimonii adulterii cauſſa ad doctrinam apoſtolicam evangelicamque attinere. Aut errant Græci, affirmando hanc indiſſolubilitatem ab evangelica & apoſtolica doctrina alienam eſſe. Quamvis igitur Tridentinum expreſſe nec Græcos, nec Lutheranos nominet, canonem tamen abſolute formavit, quo omnium, ſive Græcorum, ſive Proteſtantium, ſive aliorum quorumcumque, qui docent vinculum coniugale fornicationis cauſſa diſſolvi poſſe, errorem proſcribit & damnat.

XXVI. Veritas catholica rationum quoque momentis confirmatur. Nam, admiſſa nexus coniugalis reſciſſione, uxore adulterante, graviſſima conſequuntur abſurda. Etenim mulieres libidine æſtuantes adulteria idcirco perpetrarent, ut dimiſſæ ſuis nubere procis facile poſſent. Similiter improbis maritis occaſio foret pro legitima uxore adulteram introducendi. Quæ heinc calumniarum anſæ adverſus innocentem uxorem, ut, hac, tamquam adultera repudiata, altera exoptatior duceretur? Quibus vero filii incommodis forent obnoxii? Loco matris adhuc viventis educandi a noverca eſſent. Matrem, a qua geniti eſſent, conſpicientes, novercam odirent, & odio haberentur ab illa. Quid? *Lib. VIII.* in Lucam clamat Ambroſius. *Patereſne, oro, liberos tuos, vivente te, eſſe ſub tutrice, aut incolumi matre eſſe ſub noverca? Pone, ſi repudiata non nubat. Et hoc vivo tibi debuit diſplicere, cui adultera fidem ſervat. Pone, ſi nubat. Neceſſitatis illius tuum crimen eſt, & coniugium quod putas, adulterium eſt.* Si mulier dimiſſa innocens nubat, cedit hoc in prioris viri crimen, & dedecus. Si adultera eſt, ex perpetrato ſcelere commodum capit. Tandem matrimonium, quod ad ſacramenti dignitatem Chriſtus evexit, ut libidinem, & concupiſcentiam coerceret, ſobrioſque & temperantes redderet coniuges,

in



intemperantiores effrenatioreſque efficeret. Et cum epulæ quotidianæ vileſcant, minuſque ſapiant, continua eſſet coniugiorum viciſſitudo cum incredibili familiarum, ſocietatis, & animarum pernicie.

XXVII. Plura, quæ adverſus dicta opponi ſolent, diluta remanent. Teſtimonium Matthæi, quod faceſſere negotium poteſt, ſuo in ſenſu explicatum eſt. Ex multitudine Scriptorum quos opponit Launoius, multi favent catholico dogmati; alii ambigui ſunt; alii innoxie erraront; cum ſolemni Eccleſiæ canone veritas adhuc definita non eſſet. In vetere Pœnitentiali Romano, & in nonnullis Synodis ſolum ſtatuitur, quod coniux innocens poſſit, mortuo coniuge, ad ſecundas tranſire nuptias. Coniux vero neque poſt mortem innocentis coniugis inire matrimonium poterat; ſed in ſui criminis pœnam reliquum vitæ tranſigere abſque matrimonio debebat. Nonnulla alia obiecta diluta invenies apud S. Thomam in *Suppl. quæſt.* lxx. *art.* 6. Diſpenſationes quæ ab uno & altero Romano Pontifice obtruduntur, ſubreptitiæ ſunt, & obreptitiæ.

## §. VI.

*Matrimonium Chriſtianorum ratum, & non conſummatum ſolvitur per ſolemnem Religionis profeſſionem.*

I. OMnibus quæſtionibus quæ hoc in tractatu agitantur, hæc mihi difficilior eſt, ſi rationes quibus implicari ſolet, ſpectentur. Nam ſi abſolute quæſtio accipiatur, definita eſt in Concilio Tridentino *ſeſſ.* xxiv. *can.* vi. his verbis. *Si quis dixerit, matrimonium ratum, & non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius coniugum non dirimi; anathema ſit.*

II. Petrus Suavis acriter hunc canonem vellicare conatur, quod matrimonium ratum ſit verum ſacramentum, iure divino indiſſolubile: profeſſio autem religioſa iuris eccleſiaſtici, cum primis Eccleſiæ ſæculis nullum eiuſdem veſtigium appareat. Ius autem eccleſiaſticum nequit quæ iuris divini ſunt, irritare. Maldonatus *tract. de Matrim. cap.* vi. tantum ſibi faceſſere negotium difficultatem illam ait, ut eiuſdem reſolutionem ſe non videre affirmet, niſi, inquit, *aut concedatur matrimonium ratum, & nondum conſummatum, non eſſe verum matrimonium, & verum ſacramentum: aut certe Eccleſiam ita exiſtimaſſe, cum decrevit licere poſt matrimonium ratum conferre ſe ad Religionem, altero coniuge invito, & licere alteri adire alias nuptias.* Si matrimonium ratum, nondum conſummatum, verum matrimonium non eſſet, veramque novæ legis ſacramentum, ad eiuſdem reſciſſionem profeſſione religioſa minime opus foret; ſed natura ſua, & ex aliis cauſſis reſcindi iure poſſet. Ubi verum matrimonium non eſt, ibi nullum indiſſolubile vinculum reperitur.

III. Petrus Gibert, qui tria volumina de matrimonio edidit ſub hoc titulo, *Tradition, ou hiſtoire de l'Egliſe ſur le ſacrement de mariage*, ſolo calamo *Tom. III. a pag.* 245. univerſalis, & perpetuæ traditionis documenta promit, quæ evincant, profeſſionem ſolemnem Religionis dirimere matrimonium ratum. Pauca ego hic delibabo adverſus Novatores, quos cum vel luculentiſſima Eccleſiæ catholicæ dogmata carpere non pudeat, mirum haud eſſe debet, ſi canonem hunc deridere, & proſcindere ſtudeant.

IV. Primum traditionis documentum a S. Thecla reperitur, quæ præceptorem habuit S. Paulum Apoſtolum, cuius conſilio, contractis nuptiis renuntiatis, Deo ſe conſecravit; ut *hæreſ.* lxxviii. *n.* 16. S. Epiphanius teſtatur, inquiens: *Hæc, cum in Paulum incidiſſet, pactas nuptias diſſolvit, cum primario cuidam civitatis, ac longe diviti, nobiliſſimo, ſplendidiſſimoque deſponſata iam fuiſſet. Verum terrena ideo Sancta illa contempſit, ut cæleſtium compos eſſe poſſet.* Hoc idem narrat *Lib. II. de virg. cap.* iii. S. Ambroſius. *Thecla copulam fugiens nuptialem, & ſponſi furore damnata, naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutavit.* S. Auguſtinus *Lib. VII. Confeſſ. cap.* vi. narrat, duos milites, lecta Antonii vita, talia inter ſe ſermocinatos. *Quid quærimus? Cuius rei cauſſa militamus? Maior ne eſſe poterit ſpes noſtra in palatio, quam ut amici Imperatoris ſimus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? ... Ego iam abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſervire ſtatui, & hoc ex hora hac in hoc loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli adverſari. Reſpondit ille, adhærere ſe ſocio: & ambo habebant ſponſas; quæ, poſtquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipſæ virginitatem.*

V. S. Gregor. Magnus *Lib. III. Dialog. c.* xiv. de virgine hæc narrat. *Dum adoleſcentiæ ſuæ tempore, conſtitutis iam nuptiis, in Eccleſiam fugiſſet: & ſanctimonialis vitæ converſationem quæreret ... ſponſum meruit habere in cælo, quia ſponſum fugit in terra.*

VI. Ve-

VI. Venerabilis Beda *Lib. IV. Hiſt. c.* XIX. ſimile exemplum narrat Edildridæ Reginæ, quæ, celebratis nuptiis, numquam ſe marito immiſcuit, ſed Religionem ingreſſa eſt. Non me latet, eludi hæc exempla poſſe, aut negando hæc fuiſſe vera matrimonia, aut ex his exemplis legitime nequaquam inferri poſſe concluſionem definitam in Tridentino. Verum gratis negatur, præfata matrimonia vera fuiſſe, cum Patres tantæ auctoritatis id affirment. Utique hæc ſola exempla haud ſufficiunt ad hanc firmandam veritatem; at coniuncta cum iis quæ nunc ſubiicio, extra dubitationis aleam eam conſtituunt.

VII. Alexander III. in Concilio III. Lateranenſi an. 1179. *in Append. part.* v. *cap.* 1. hæc ſtatuit. *Poſt conſenſum illum legitimum de præſenti datum, licitum eſt altero etiam repudiante, Monaſterium eligere, ſicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt; dummodo inter eos carnis commixtio non intervenerit. Et alteri remanenti, ſi commonitus ſervare noluerit continentiam, licitum eſſe videtur ut ad ſecunda vota tranſire poſſit. Quia cum non fuiſſent una caro effecti, poteſt unus ad Dominum tranſire, & alter in ſæculo remanere.* Similia tradit *ibidem cap.* VIII. in reſponſo dato Epiſcopo Brixienſi.

VIII. Innocentius III. cap. *Ex parte* de converſione coniugatorum hæc docet. *Nos inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod etſi poſſit non inconſulte videri, quia ex quo matrimonium inter legitimas perſonas per verba de præſenti contrahitur, illis viventibus in nullo caſu poſſit diſſolvi, ut, vivente reliquo, alter ad ſecunda vota tranſmigret; etiamſi unus fidelium, inter quos eſt ratum coniugium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero ſine iniuria Creatoris: niſi forte fieret ex revelatione divina, quæ ſuperat omnem legem, ſicut a quibuſdam Sanctis legitur eſſe factum. Nos tamen volentes a prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis declinare, qui reſpondere conſulti, antequam matrimonium ſit per carnalem copulam conſummatum, licere alteri coniugum, reliquo inconſulto, ad Religionem tranſire, ita quod reliquus ex tunc legitime poterit alteri copulari.*

IX. Plures adducunt Theologi rationes in huius veritatis confirmationem. Verum nulla, ſeparata a traditione, rem demonſtrat: evincunt tamen rationes, nihil occurrere in eiuſmodi matrimonii reſciſſione profitendæ Religionis cauſſa quod aut divinis Scripturis, aut morum ſanctitati, aut legi naturali repugnet. Ratiocinium S. Thomæ in *Supp. q.* LXI. *art.* 2. eſt valde ſolidum. Hoc ſiquidem pacto argumentatur. *Ante carnalem copulam eſt inter coniuges tantum ſpirituale vinculum; ſed poſtea etiam eſt inter eos vinculum carnale. Et ideo ſicut poſt carnalem copulam matrimonium ſolvitur per mortem carnalem; ita per ingreſſum Religionis vinculum quod eſt ante carnalem copulam, ſolvitur: quia Religio eſt quædam mors ſpiritualis, qua aliquis ſæculo moriens, vivit Deo.* Hæc ratio ſeorſum accepta eludi facile poteſt, quod etiam in ſimplici caſtitatis voto, aut in voto Ordini ſacro anneſo quædam ſpiritualis mors occurrat. Idcirco aliud principium adiicit ibidem *ad* 2. Angelicus. *Ante carnalem copulam non eſt omnino tranſlatum corpus unius ſub poteſtate alterius, SED SUB CONDITIONE, ſi interea alter coniugum ad frugem melioris vitæ non convolet.*

X. Hæc, ut mihi videtur, eſt huiuſce implicatiſſimæ controverſiæ ratio ſolidior ceteris. Omnes contractus ſunt poteſtati ſupremæ ſubiecti: quæ ſubiectionis conditio intrinſecus omnibus ineſt. Deus eſt ſupremus corporum, animarumque noſtrarum Dominus. Ergo cuilibet mutuæ corporum traditioni inſita eſt conditio iſthæc: niſi corpus iſtud ſibi delegerit ſupremus Dominus, cuius nutu, & voluntate omnia fiunt. Conditio omni iuri, omnibuſque principiis quammaxime conſentanea eſt. Quid enim rationi congruentius quam Deo vocanti ad ſibi inſerviendum in altiori ſtatu, parendum eſſe, quando id fieri abſque alterius detrimento poteſt? Porro ante carnalem commixtionem nullo modo coniugum corpora læduntur, ſed integra conſiſtunt, & digna ut Deo in ſacrificium immolentur.

XI. Reponi utique & huic rationi poteſt, hanc conditionem includi quoque in ſimplici, aut ſolemni anneſo ſacro Ordini caſtitatis voto. Verum hæc oppoſitio ex iis quæ iam præmiſi, convulſa manet. Dixi, nullam occurrere rationem, quæ ſeparatim ſpectata ſententiam catholicam evidenter demonſtret. Cæterum hæc rationum momenta, traditioni Eccleſiæ conſociata, ita perſpicue evincunt hanc cauſſæ definitionem a Tridentino latam, ut obmuteſcere Novatores oporteat. Univerſa autem Eccleſiæ traditio ſoli profeſſioni Religionis hanc rati matrimonii diſſolutionem adſcribit, non voto ſimplici, vel anneſo Ordini ſacro. Quod hæc traditio ſit univerſalis & perpetua, ex dictis patet. Nam Pontifices ſummi, Gregorius Magnus, Alexander III. Innocentius III. nihil hac in cauſſa ſe innovaſſe teſtantur; ſed doctrinam a maioribus acceptam tradidiſſe. SS. Patres Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & poſteriores, Thomas, Bonaventura, cum ceteris Theologis ſe communem Eccleſiæ doctrinam docere affirmant.

XII. Obiicies 1. Neque Concilium Tridentinum, neque Eccleſia definire valent, matrimonium ratum diſſolvi per profeſſionem religioſam, niſi ex divina revelatione, quæ per Scripturas, vel traditionem innoteſcat. Sed colligi ex Scripturis hæc revelatio nequit: oppoſitum enim Scriptura docet: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Reſp. Eccleſiæ Spiritus ſanctus aſſiſtit, ne in fidei articulis morumque regulis definiendis erret. Laudatum Scripturæ textum: *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet,* Eccleſia ſic interpretatur, Deum ipſum eſſe qui ſeparat coniugatos Religionis cauſſa. Neque enim Eccleſia ſponſos ad Religionem impellit, ſed Deus, qui, ut ſupremus Dominus poteſt, illos ad ſe vocat.

XIII. Obiicies 2. Matrimonium ratum non conſummatum eiuſdem naturæ & eſſentiæ eſt ac conſummatum. Illud ſolvi nequit. Ergo neque illud. Reſp. Eiuſdem naturæ, & ſub eiſdem circumſtantiis utrumque matrimonium eſſe negatur. Abſolute eadem eſt utriuſque natura; at ſtatus, & circumſtantiæ diverſæ ſunt. Utrumque abſolute indiſſolubile eſt. Solus Deus voluit, & valt ſolvere ratum, ſecus conſummatum. Idque nobis conſtat ex traditione, & Eccleſiæ definitione. Hæc eſt unica & decretoria ratio: nec ultra pergendum eſt.

XIV. Inſiſtunt. Votorum ſolemnitas iuris eſt eccleſiaſtici: ergo nequit ſcindere vinculum coniugale, iure divino indiſſolubile. Reſp. Ritus & cæremoniæ votorum ſunt utique ab Eccleſia præſcriptæ; at vis votorum ſolvendi vinculum coniugale eſt a Deo. Deus ipſe vim votis emiſſis ſuo ritu ab Eccleſia præſcripto indidit ſcindendi matrimonia rata. Neque, ut dixi, Eccleſia eſt quæ ſeparat coniugatos, ſed Deus.

XV. Quæſt. I. *Quomodo ſe gerere coniux debet qui ante matrimonii conſummationem ingredi Religionem deliberat?* Reſp. Coniux qui deſeritur, monendus eſt, ſervare ac velit continentiam. Si renuit, duorum menſium intervallum concedit Eccleſia, quo negari debitum poteſt, & deliberare de Religionis ingreſſu. Hoc elapſo tempore, negari petenti debitum nequit. Si intra hoc ſpatium ſe ingreſſus in Religionem, qui in ſæculo remanet, expectare præter hos duos menſes, annum integrum debet, donec emiſſa a coniuge Religioſa profeſſio fuerit. Præfati enim duo menſes a iure conceduntur, ut matura fiat de ingreſſu deliberatio. Si rurſum, antequam elabantur duo dicti menſes, coniux ingrediatur Religionem, & elapſo anno profiteatur, tum coniux deſertus, poſt emiſſam profeſſionem, ſecundas celebrare nuptias poteſt. Quid, ſi femina, dum annos pubertatis aſſequitur, monaſterium ingreditur? Aſtringitur vir annum 16. expectare, donec profiteatur: quia ante hunc annum per Tridentinum profeſſionem emittere nequit.

XVI. Diſputant Theologi, poſſit ne iudex ſpatium duorum menſium amplificare, aut coercere? Affirmat Sanchez *Lib. II. diſp.* XXIX. quod non ſit illud tempus a lege conſtitutum. Negat contra P. Pontius *Libr. IX. cap.* 16. Et hæc ſententia mihi eſt probabilior. Duo menſes præcepti ſunt ab Alexandro III. & hoc ſpatium communi Eccleſiæ conſuetudine determinatum eſt. Si iudicis arbitrio relinquatur, cum varia ſint hominum ingenia, & affectus diverſi, plura conſequi abſurda valent. Poſſet coniux de una ad alteram Religionem tranſire, moras nectere in fraudem alterius coniugis. Idcirco neque arctandum, neque protrahendum omnino eſt ſpatium iſtud matrimonio odioſum.

XVII. Quæſt. II. *Copula, per vim extorta intra bimeſtre, adimit ne violato coniugi ius ingrediendi Religionem?* Reſp. Negat Sanchez *Lib. II. diſp.* XXII. Affirmat Pontius *loc. cit. cap.* 2. & hæc opinio mihi videtur vera. Commixtio enim carnalis revera matrimonium conſummat: & hunc effectum phyſicum vis non tollit, ſed ſolum efficit ut copula ſit malitioſa. Quod enim libera ſit copula, aut violenta, perinde eſt ad conſummationis effectum. Ergo ingreſſus ad Religionem non patet. Accedit quod hæc vis vix umquam revera contingit. Lucretiæ enim rariſſimæ ſunt.

XVIII. Quæſt. III. *Sponſis iuramento teſtantibus ſe matrimonium non conſummaſſe, adhibenda ne fides eſt?* Reſp. Diſtinguunt communiter. Si ſponſa non erat virgo, & ad ſponſi domum traducta non ſit, adhibetur, inquit Sanchez *Lib. II. diſp.* XXIII. illorum iuramento fides, cum ex aſpectu probatio haberi nequeat. Si vero traducta ſit, non creditur illis in matrimonii præiudicium. Si puella virgo erat, iuramento creditur, ſi talis appareat poſt aſpectum: quia aſpectus prævalet omni probationi.

XIX. Quæſt. IV. *Qui poſt ſolemne profeſſionis votum, & ſolutionem matrimonii rati*

*a Papa poſſit; quis non videt, impares mutuis parentibus nuptias (ex quibus vix unquam eſt quin graviſſima ſcandala ſuboritura prævideantur) nullo modo fuiſſe ab initio contrahendas, immo a Paſtoribus omnibus impediendas? Nullum, crede mihi, argumentum validius afferri poteſt, quo huic præpoſteræ nupturientium libertati impenſe faventes, efficacius iugulentur. Et tamen homo ille Urſaya, cauſſæ ad ſe delatæ ſerviens, matrimonia quibus parentes diſſentiunt, impediri poſſe, etſi graves offenſiones inde immineant, acriter negavit alibi, quia ſic alterius cauſſæ rationes poſtulabant......* Hoc illud nimirum eſt, non ad rei veritatem, ſed ad cauſſarum opportunitatem calamum attemperare, ac Pyrrhoniſmum in Iuriſprudentiam invehere. Profecto diſputationes illorum Canoniſtarum qui foro inſervierunt, & delatas ad ſe cauſſas propugnarunt, non pluris faciendæ ſunt quam documenta quæ afferunt, ſerio expenſa, & ab eorum interpretamentis purgata mereantur. Frequenter enim diſputationes illæ in favorem clientum ſcriptæ ſunt, ut poſt multos fuſe obſervavit Cl. Muratorius in opere *de vitiis Iuriſprud.*

IX. Dominicus Soto Theologus ſane graviſſimus in *IV. diſt.* XXVIII. *quæſt.* V. *artic.* ex inſtituto hanc quæſtionem verſat, & de oppoſita opinione hæc ſcribit. *Revera opinio hæc, quamvis aliquibus ſuſtentabilis appareat, mihi tamen, ut tenuitatem ingenii mei fatear, ſalva ſemper Eccleſiæ cenſura, nullam probabilitatis effigiem repræſentat. Quare cum Chriſtus ait,* Homo non ſeparet, *Pontificem etiam ipſum excludit, quaſi talem poteſtatem ei non committeret, quia ſuper iure divino & naturali, quale illa verba ſignificant, Papa minime diſpenſat...... Auctoritas vero Martini & Eugenii, ſi ita verum eſt, quod ſimilem diſpenſationem fecerint, nullatenus tanquam Eccleſiæ determinatio movet: quia factum Pontificum non facit fidei articulum, ſed opinionem Canoniſtarum ſunt ſecuti. Sic tamen alii Pontifices non leguntur talem feciſſe diſpenſationem, cum tamen credibile ſit, creberrime oblatos fuiſſe diſpenſandi caſus. Immo Adrianus VI. vir cum utriuſque iuris peritiſſimus, tum & rei theologicæ non ruſtice doctus, cum ab illo huiuſmodi diſpenſatio fuiſſet poſtulata oblataque ſuaſrix ſententia Caietani, admiratus eſt virum Theologum hoc ſibi in animum inducere potuiſſe. Et ideo importunis precibus ſuccumbens, reſpondit, ſe dare quidem poſſe, ſed tamen credere nihil poſſe.*

*At quo tandem illam opinionem extolleremus, ſi matrimonium ratum non eſſet natura ſua indiſſolubile, profecto non ſolum Papa, ſed etiam Epiſcopus diſpenſare ſuper eo poſſet: nam quidquid poteſt Papa in huiuſmodi diſpenſationibus, poteſt Epiſcopus, niſi ſit prohibitus. Quin vero nihil mirarer, ſi quiſpiam inferret, quod etiam citra diſpenſationem poſſent ſe coniuges ſeparare. Nam ſi verbum illud,* Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet, *non intelligatur de matrimonio rato: unde, rogo, convincitur arctiorem nexum eſſe in matrimonio rato quam in ſponſalibus de futuro? Et ideo, ſaltem ſi de facto ſepararentur, & alia matrimonia conſummarent, tenerent factum.*

*In ſumma ſi hæc diſpenſatio ſemel uſu admitteretur, frequentiſſimi eſſent qui eam procurarent; & ſic contractus matrimonii adeo eſſet languidus, ut vix ullius eſſet roboris. Id quod experientia nos docuit. Nam plurimi hac opinione Caietani evocati Apoſtolicam Sedem ſuper tali diſpenſatione pulſarunt, qui tamen repulſam meritiſſimo paſſi ſunt. Abſit ergo ut hæc opinio his maxime temporibus auctoretur, quando hæretici tam multis de cauſſis putant matrimonium dirimendum. Caietanus autem nunquam de hac re legiſſet* [illegible].

X. Quæſt. unic. *Quænam cauſſæ aſſignentur a P. Sanchez pro iuſta diſpenſatione matrimonii rati?* Reſp. Poſſe ſummum Pontificem ex graviſſima cauſſa, quæ bonum publicum ſpectet, diſpenſare a matrimonio rato, non conſummato, docent graviſſimi Theologi, & communiter Canoniſtæ, ut narrat P. Sanchez *Lib. II. diſp.* XVI. qui aſſignat cauſſas iuſtæ diſpenſationi, ut facilius ſit contractus matrimoniales etiam contractos quarumcumque vilium anſarum reſcindere. Ut intelligas quam longe a communi Eccleſiæ doctrina diſtet, ut ſumma mea præfert opinio, doctrina P. Sanchez in hac cauſſa, in memoriam revoca, neque votum ſimplex caſtitatis, neque votum ſolemne annexum Ordini ſacro, neque ipſum votum Religionis, ſi Religio non ſit ſolemniter approbata, ſufficere ad reſcindendum matrimonium ratum. Audi nunc cauſſas quas ſcindendi matrimonii rati P. Sanchez aſſignat. Illas propriis ipſius verbis expreſſas tranſcribo.

XI. Hæc *loc. cit. num.* 2. ſcribit. „ Quidam dicunt, non ſatis eſſe quamcumque „ cauſſam, ſed debere eſſe ſimilem expreſſæ „ in iure *cap.* II. *de converſ. coniug.* quæ eſt „ Religionis ingreſſus. Sic Abbas &c.“

XII. Vides, qua cautione locuti ſunt illi ipſi qui inter primos hanc pontificiam rati matrimonii diſpenſationem invexerunt. Subdit P. Sanch. ibi: *Sed merito Barboſa...., hanc ſententiam reprobat, dicens, ſufficere alias iuſtas cauſſas.* Numquid Barboſa ſupra ius canonicum eſt? Unde Barboſa colligit alias iuſtas cauſſas, quæ reſcindant matrimonium ratum iure naturali & divino perpetuum? Sed cauſſas illas audiamus.



XIII. P. Sanchez *num.* 2. „ *Prima ergo* „ *cauſſa iuſta* eſt notabilis in qualitate diſpa„ritas, quando ſcilicet contrahentes ſunt no„tabiliter conditione impares, & affectione „ cæca, & levitate quadam ducti ineunt ma„trimonium.“

XIV. Hac admiſſa doctrina, matrimonia magna ex parte contracta in fumum abeunt: & ſacramentum illud magnum in Eccleſia, diſcordiarum, ſchiſmatum, & perturbationum materia evadit. Sed audiamus rationem huiuſce cauſſæ iuſtæ. *Et ratio eſt* (inquit Sanchez) *quia matrimonium ordinatur ad maximam amicitiam & concordiam, quæ inter beatitudines refertur.* Recte & bene. Idcirco Chriſtus Dominus ad ſacramenti dignitatem matrimonium extulit, ut gratia ſacramentali hanc coniugatorum benevolentiam, concordiam, & caſtimoniam foveret. Et quia coniugati hac divina gratia in ſacramento ſuſcepta abutentes, propria nequitia & iniquitate diſcordes ſunt, reſcindendum ne ſacramentum eſt? Notabilis conditionis diſparitas ſufficiens diſſolutionis cauſſa aſſeritur? Accidentaria eſt conditio hæc ſubſtantiæ & naturæ contractus. Accidentariæ autem diverſitates ſat ſunt ad contractus infringendos? Affectio cæca, & levitas animi aut impedit conſenſum neceſſarium, aut ſecus? Si primum, nullum abſque diſpenſatione matrimonium eſt. Si ſecundum, perperam obtruditur. Plures Poetarum auctoritates *P. Sanch.* ibi allegat. Ovidius in epiſt. Deianiræ ad Herculem: *Si qua voles apte nubere, nube pari.* Euripides in Rheſo: *Nolim ex potentioribus me ducere uxorem.* Cleobulus unus ex ſeptem ſapientibus aiebat: *Par pari iugato coniux: quod impar eſt, diſſidet.* Næ illi ſtupidi ſacrorum canonum fontes, unde diſſolvendi evangelici ſacramenti cauſſæ hauriendæ? Utique & canones ſacri, & Leo Pontifex *epiſt.* lxx. ſuadent: *Nuptiarum autem fœdera inter æquales legitima ſunt.* At numquid ſacri canones definiunt, notabilem conditionis, nobilitatis, divitiarum, pulchritudinis diſparitatem eſſe iuſtam abrumpendi vinculi coniugalis rati cauſſam? Sed pergamus ultra.

XV. P. Sanch. ibi num. 3. „ *Secunda* „ *cauſſa* eſt gravis timor ſcandali magni fu„turi, quia id cedit in magnum damnum „ commune, indeque rixæ graves, & neces „ oriri ſolent. Sic Felinus.... Portius.... „ Menochius... ubi cum Portio addit hoc „ futurum ſcandalum eſſe, *ob fornicationis* „ *timorem*, eo quod coniuges valde ſibi diſ„pliceant, vel ob inimicitias quæ inter coniu„gatos, vel eorum conſanguineos timentur.“

XVI. Si rixæ, ſi diſſidia inter coniugatos, ſi timor fornicationis futuræ iuſta ſcindendi rati matrimonii cauſſa ſit, quodnam, quæſo matrimonium ratum firmum ſtabit? Moderna corruptela marium fœminarumque converſationis mutuæ ſerpente, quam frequens, & rationabilis fornicationum, & diſſidiorum timor ſit, quis eſt qui ignoret? Nihil ergo matrimoniorum reſciſſione frequentius.

XVII. „ *Tertia cauſſa* eſt (inquit ibi San„chez *num.* 5.) lepra alteri ſuperveniens... „ Sic Borgaſius.“ Innocentius III. ſuperius citatus negat ſupervenientem lepram cauſſam eſſe ſufficientem illius reſciſſionis. Subdit P. Sanchez, impotentiam ſupervenientem ante matrimonium conſummatum, eſſe quoque cauſſam iuſtam: & adducit Alciatum, & Menochium, aſſerentes ipſam ſterilitatem eſſe cauſſam iuſtam diſſolutionis. At, reponit Sanchez, qui fieri poteſt ut ſterilitas cognoſcatur ante conſummationem?

XVIII. „ *Quarta cauſſa* eſt (pergit Sanch. „ *num.* 7.) quando alter coniugatorum aſ„ſerit ſe non habuiſſe animum contrahen„di. Sic Socinus ſenior.. Felinus.. Meno„chius.“ Si conſenſus defuit, irritum eſt matrimonium, nulla egens diſpenſatione. Probandum eſt defuiſſe conſenſum, & irritum tunc natura ſua matrimonium eſt. Si vero conſenſum defuiſſe non probetur, aſſerenti fides habenda non eſt: alioquin incerta ad arbitrium coniugatorum matrimonia rata evaderent.

XIX. „ *Quinta cauſſa* eſt (ſubdit Sanch. „ *num.* 8.) ut vir efficiatur Epiſcopus. Sic „ Paulus Borgaſius... Sed id credo verum, „ quando iis dotibus eſſet præditus, ut valde „ neceſſarium eſſet ad bonum commune eum „ in Epiſcopum promoveri.“ Votum ſolemne caſtitatis ſacro ordini annexum haud eſt ſcindendi matrimonii rati cauſſa: & gradus epiſcopalis erit? Si coniugatus fiat Sacerdos, Parochus, Archipresbyter, ſitque bono communi valde neceſſarius, erit ne tunc cauſſa ſufficiens?

XX. „ *Ultima cauſſa* eſt (concludit P. „ Sanch. *num.* 9.) mutuus coniugum conſen„ſus. Sic Gregorius Lopez... Medina... „ Sed hanc cauſſam non eſſe ſufficientem te-

„ ſtantur multi Doctores, quos retuli diſp. præced. num. 2. aſſerentes non poſſe Pontificem ex poteſtate ordinaria ob mutuum contrahentium conſenſum diſpenſare, ſi alia cauſſa non ſubſit: & quamvis fateantur poſſe ex poteſtate abſoluta, id evenit, quia credunt nullam requiri cauſſam ut valide diſpenſet, ut ibi explicui. “

XXI. Explicuit ſane, probabile eſſe Papam poſſe, nulla occurrente cauſſa, diſpenſare a matrimonii rati vinculo. En quo ſacramentale illud, perpetuumque matrimonii rati vinculum devenit. Plures iuris civilis, & canonici interpretes, Alciatos, Felinos, Decios, Bertachinos, Borgaſios, Cortios, alioſque plures P. Sanch. adfert. Sed videndum, num iſti Icti Scripturarum teſtimonia, & apoſtolicæ traditionis documenta ſevere expenderint. Si enim id omiſerint, ſi unus poſt alium abiret, ſi pro arbitrio, nulla ſolida ratione adducta, & ſacra Patrum, & Conciliorum auctoritate neglecta, rem definirent; quid præſidii adverſæ opinioni illorum multitudo adferre poſſit, ceteri iudicent.

XXII. Illud altius meditandum eſt, qua conciliari ratione poſſit cum Eccleſiæ doctrina hæc reſcindendi matrimonii rati facilitas. Propugnat Eccleſia adverſus Græcos, neque fornicationis cauſſa dirimi matrimonium conſummatum; licet Patres aliqui, & Græcorum diſciplina oppoſitum ſentiant. Docent Theologi omnes, rati & conſummati matrimonii, naturam & eſſentiam eamdem eſſe, copulamque carnalem accidentariam eſſe perfectionem. Approbatæ Religionis profeſſionem ſcindere matrimonium ratum, iure naturali divinoque indiſſolubile, Eccleſia definivit. In nullo autem Concilio hactenus alia deſignata talis reſciſſionis cauſſa eſt. Non vota caſtitatis, quæcumque illa ſint, reputata ſunt cauſſa ſufficiens. Quomodo cum his principiis cohæreat doctrina P. Sanchez, Borgaſii, Bertachini, Alciati, Felini, Tiraquelli, Barboſæ, & aliorum plurium Canoniſtarum, ingenii mei tenuitas ſane non percipit. Defendant Theologi, ut matrimonii indiſſolubilitatem propugnent adverſus tum Græcos, tum Proteſtantes. Et poſtea tanta eiuſdem reſcindendi facilitas invenitur? Falluntur, meo quidem iudicio, Canoniſtæ illi, & nonnulli alii recentiores, ſi credunt, tanta diſpenſationum facilitate pontificiæ poteſtatis confinia amplificare. Poteſtas hæc firma, certa, & inconcuſſa eſt, & nonniſi certis firmiſque fundamentis nititur. Arbitrariis opinionibus, quæ nullum in ſacra traditione fundamentum habent, illa non eget. Ex præfatis opinionibus anſam Novatores arripiunt eidem inſultandi.

XXIII. Opponunt Alexander III. *in append.* Concil. Lateran. *part.* VI. *cap.* XXVI. concedit diſſolvi rata ſponſalia: & rurſus *part.* XII. *cap.* IV. iubet, coniugium ratum, initum cum filia mulieris quam poſtea vir cognovit, diſſolvi, ſi crimen ſit publicum; ſecus, ſi occultum. In primo caſu loquitur Pontifex de ſolis ſponſalibus, inquiunt ſecundæ opinionis aſſertores. In ſecundo non de ſolutione contracti matrimonii, ſed de cohabitatione ſermo eſt. Et tria ad Epiſcopum Pictavienſem reſpondet. 1. Quod, ſi occultum crimen ſit, non ſeparentur; cum publice contractum ſit, neque quoad torum, nedum quoad vinculum. Si crimen eſt publicum, nempe quod cognovit matrem ſponſæ, non tamen ſponſam, diſpenſat ut poſſit aliam ducere, & illa alium, poſt mortem alterius coniugis. Huc recidit diſpenſatio, quod rigorem diſciplinæ, qua coniugi reo in criminis pœnam etiam poſt mortem coniugis, vetitæ nuptiæ erant, temperet. 3. *Ceterum* (concludit Pontifex) *ſi ſponſam cognoverit, antequam matrem, vel poſt, nunquam poterit eam, vel aliam in uxorem accipere.*

XXIV. Quod opponunt de Gregorio II. ex epiſtola XIV. ad Bonifacium, nullum ſucceſſit negotium contrariæ ſententiæ defenſoribus. Quoniam ibi ſermo eſt de muliere impedimento dirimente irretita. Similiter perperam obtruditur Cæleſtinus III. vel, ut alii volunt, Clemens III. qui putavit matrimonium diſſolvi propter alterius coniugis hæreſim. Nam Innocentius III. cap. *Laudabilem* de conv. infid. declarat neque propter hæreſim diſſolvi matrimonium poſſe: idque definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *can.* V.

XXV. Inſiſtunt, Pontifices diſpenſare a voto & ſimplici, & ſolemni, quamvis ſit divini iuris. Ergo etiam diſpenſare a vinculo matrimonii valent. Reſp. Convenit penes Theologos maiorem in votis quam in matrimonio diſſolvendis datam eſſe Eccleſiæ poteſtatem. De voto ſimplici nulla eſt difficultas; cum perpetua traditio, & diſciplina faveat. Ad votum ſolemne quod attinet, negant graviores Theologi Pontificibus ab eodem diſpenſandi facultatem. Admiſſa vero oppoſita opinione, Pontius *Lib.* IX. *cap.* III. *num.* 16. reſpondet. *Quod vero attinet ad diſpenſationem voti ſolemnis, redditur facile diverſitatis ratio: quia in profeſſione fit etiam traditio Religioſi, quam accipiat Prælatus, & eo non acceptante non obligant illa vota, quorum fundamentum eſt traditio; cumque Pontifex ſit Ordinarius, cui etiam tamquam Religionis Superiori ſit traditio, eam traditionem poteſt reiicere, eaque reiecta, ceſſat obligatio ſtatus Religionis in illo.* Hæc pauca hiſtorice delibaſſe ſufficiat pro utraque ſententia, proprio omnino iudicio ſuppreſſo. Et hoc in ſenſu intellecta volo, quæ *Tom.* VI. *diſſ.* VI. *cap.* V. §. 2. *num.* 7. obiter de præfata diſpenſatione a matrimonii rati vinculo ſcripſi. Quare quiſque in ſuo ſenſu abundet, & quam ex duabus opinionibus probabiliorem iudicaverit, amplectatur.



## §. VIII.

*Utrum matrimonium Chriſtianorum ratum, & conſummatum per ingreſſum in Religionem ſolvatur.*

I. QUæſt. I. *Matrimonium conſummatum dirimitur ne per Religionis profeſſionem?* Reſp. Negant communiter Theologi omnes. Quoniam Eccleſia ſolum matrimonium ratum ſolvi per profeſſionem monaſticam declaravit. Teſtimonia Scripturarum quæ indiſſolubilitatem matrimonii declarant, nullam admittunt exceptionem reſpectu matrimonii conſummati. Iuſtiniani lex 56. Codicis *tit.* III. *de Epiſcopis* &c. qua indiſcriminatim facultas conceditur coniugatis *ad meliorem vitam migrandi*, legi divinæ adverſatur, ut ait S. Gregorius Magnus *Lib.* XI. *epiſt.* IV. Si unus coniux in crimen adulterii labatur, poteſt alter, reo invito, continentiam vovere, vel ingredi Religionem, quia divortium perpetuum licitum eſt, etiam reo coniuge, qui ius ob adulterium perpetratum amiſit, invito. Hac divortii perpetua cauſſa ſublata, neuter, altero invito, vovere continentiam iure valet, ſive voto ſimplici, ſive ſolemni. Si unus, altero invito, Religionem profiteretur, profeſſio nulla eſſet. Si revocatus exiret, non teneretur abſolute ad Religionem redire, etiam mortuo coniuge: quia profeſſio nulla fuit. Hortandus tamen eſſet ut rediret, & profeſſionem redintegraret. Si poſt profeſſionem coniux conſenſum præſtaret, non propterea valida profeſſio evaderet; ſed inſtauranda eſſet. Qui in ſæculo manſit, non poteſt Monaſterium ingredi, invito coniuge, qui invalide profeſſus eſt. Quoniam per profeſſionem ſuapte natura irritam ius non amiſit impediendi ne, ſe invito, alter Religionem ingrediatur. Invalide profeſſus reſilire valet, etiamſi coniux manens in ſæculo adulterium committat: quia reus, non innocens, ius perdit cohabitationis. Licentia ex metu cadente in virum conſtantem data non ſufficit ad validam profeſſionem alterius coniugis.

II. Quæſt. II. *Quæ requiruntur, ut poſt conſummatum matrimonium unus coniux amplectatur Religionem?* Reſp. Requiritur neceſſario conſenſus coniugis remanentis in ſæculo. Si coniux qui in ſæculo manet, ſenex ſit, emittat oportet caſtitatis votum. Si iuvenis, ingredi Religionem debet; ut ſtatuitur cap. *Cum ſis* de converſ. coniug. ubi hæc habentur. *Prohibemus ne virum, vel uxorem (niſi uterque ad Religionem migraverit) tranſire permittas. Verum ſi ita uxor ſenex eſt, & ſterilis, quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo, diſſimulare poteris, ut ea in ſæculo remanente, & caſtitatem promittente, ad Religionem tranſeat vir.* Qui conſentiente altero coniuge profitetur, valet profeſſio, etiamſi qui remanet, votum non emittat, ſi ſenex ſit; aut Religionem non amplectatur, ſi iuvenis fuerit. Contra ius tamen ageretur. Quare ante profeſſionem omnia præſtanda ſunt quæ a iure præſcribuntur. Qui manet in ſæculo, votumque emiſit, non poteſt datam licentiam revocare. Si votum non emiſit, eſſetque incontinentiæ periculum, graves Theologi docent eſſe revocationi locum.

III. Quæſt. III. *Poteſt ne maritus, conſentiente uxore, poſt conſummatum matrimonium initiari ſacris Ordinibus?* Reſp. Maritus ſive ante, ſive poſt conſummationem matrimonii non poteſt, invita uxore, ad ſacros Ordines tranſire; quia, ut diximus, Ordo ſacer non irritat matrimonium, ut habetur cap. *Conjugatus*. Si autem vir, uxore invita, ſacros Ordines ſuſciperet, reddere, non petere deberet, & maneret irregularis. Conſentiente uxore, vir ſuſcipere ſacros Ordines valet, dummodo ipſa Religionem approbatam profiteatur, ut ſtatuitur cap. *Sane* de converſ. coniug. ubi Alexander III. inquit: *Prohibemus ne uxoratum præſumantis in Epiſcopum ordinare, niſi uxor prius profeſſa continentiam, ſacrum ſibi velamen imponat, & religioſam veſtem aſſumat.*

IV. Quæſt. IV. *Quid requiritur ut matrimonium conſummatum dicatur?* Reſp. Aliqui dicunt, ſat eſſe vaſis penetrationem abſque ſeminis effuſione. Alii communiter requirunt immiſſionem ſeminis in vas mulieris: quæ ſententia probabilior eſt. Alii requirunt ut etiam ipſa femina ſemen effundat; ſed probabilius hoc non requiritur. Diſputant quo-

que, num ſatis ſit ut ſemen virile ope dæmonis in mulieris vas immittatur, abſque vaſis feminei penetratione. Adfirmant Sanchez, Filliucius, Villalobosius. Alii negant. Hoc mihi incertum eſt. Abſolute neceſſaria eſt vaſis penetratio cum ſeminis effuſione. Copula habita ante matrimonium non ſufficit ad matrimonii conſummationem, quæ per copulam matrimonialem, non per fornicationem perfici debet.

## CAPUT IX.

*De divortiis coniugatorum.*

I. DIvortium differt a repudio, quod iſtud communiter pro vinculi diſſolutione, illud vero pro tori ſeparatione accipiatur. Lutherani, qui ex quacumque gravi cauſſa dirimi matrimonium poſſe adfirmant, negant, manente matrimonii vinculo, ſeparationem quoad torum licitam eſſe. Quem errorem *ſeſſ.* XXIV. *can.* VII. proſcripſit Tridentinum. *Si quis dixerit, Eccleſiam errare, cum ob multas cauſſas ſeparationem inter coniuges quoad torum, ſeu quoad habitationem ad certum, incertumve tempus fieri poſſe decernit; anathema ſit.* Et diſciplina conſtans obtinuit in Eccleſia, & in ipſa Scriptura ſacra perſpicue traditur: ſiquidem *I. Cor.* VII. dicitur: *Iis autem qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Duo hic habentur: alterum, per divortium, ſeu diſceſſum vinculum coniugale non abrumpi; alterum, licitum divortium eſſe.

II. Quæſt. I. *An in utroque coniuge ius divortii adulterii cauſſa par ſit?* Reſp. Sententia adfirmans certa eſt: quia in iis quæ ad torum attinent, utriuſque coniugis iura paria ſunt: & ſicut vir poteſtatem in uxoris corpus, ita mulier in mariti corpus poteſtatem habet; ut docet S. Thomas in *Suppl. quæſt.* XLII. *art.* 4.

III. Quæſt. II. *Quid iuris habeat coniux innocens, & nocens poſt factum divortium?* Reſp. Coniux innocens aut vovere continentiam, aut ingredi Religionem poteſt, invito reo. Reus autem non poteſt ſtatum ſuum mutare vovendo continentiam, aut Religionem profitendo, quamdiu innocens coniux ius retinet illum revocandi. Si tamen innocens coniux ſciens non contradicat, valet mutatio ſtatus facta a coniuge reo. Si iudicis ſententia detruſa femina rea fuerit in Monaſterium, biennium conceditur innocenti, ut deliberet, ſi velit feminam repetere: & intra hoc biennium profeſſio feminæ nulla eſt; valida vero illo elapſo. Nec eſt quod reponas, hanc dimiſſionem ſceleribus occaſionem aperire. Immo iſtius dimiſſionis timor coniugibus in ordine retinendis inſervit. Si, inflicta ſeparationis pœna, flagitia coniuges perpetrant, ex illorum nequitia, non ex dimiſſione, illa proficiſcuntur.

IV. Quæſt. III. *Quibus in caſibus licitum eſt divortium inter chriſtianos coniuges?* Reſp. I. Licitum eſt ex utriuſque coniugis conſenſu ſtudio ſanctioris vitæ. *Matth.* IX. habetur: *Omnis qui reliquerit domum .... aut uxorem propter nomen meum, centuplum accipiet.* II. Fieri divortium poteſt ob adulterii crimen. III. Immoderata ſævitia iuſta eſt divortii cauſſa, ut Innocentius *III. cap. Litteras* de reſtitut. ſpoliat. ſtatuit, *Si tanta ſit viri ſævitia, ut mulieri trepidanti non poſſit ſufficiens ſecuritas provideri, non ſolum non debet illi reſtitui, ſed ab eo potius amoveri.* Expectanda ne eſt iudicis ſententia? Si ſævitia publica, & manifeſta omnibus ſit, ut negari nequeat, diſcedere innocens coniux valet, non expectata iudicis ſententia: Si vero occulta quodammodo ſævitia ſit, & nota ſolum innocenti, & paucis aliis, ſeparare ſe uxor a toro poteſt, ſecus diſcedere a domo ante iudicis ſententiam. Ita docet S. Thomas in *IV. diſt.* XXXV. *quæſt.* II. *artic.* 3. Spectandæ tamen circumſtantiæ ſunt: nam ſi eſſet periculum in mora, tunc mulier omni meliori modo cavere ſibi poſſet. IV. Si ſubverſionis periculum uni coniugi immineat ex cohabitatione, non modo licitus, ſed neceſſarius diſceſſus eſt: inquit enim *Matth.* XVIII. Chriſtus; *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Si vero nullum inſtet ſubverſionis periculum, neque ſollicitationis ad malum, diſceſſus licitus non eſt; quamvis ſceleribus coniux obnoxius ſit. V. Si alter coniugum a fide defecerit; ut in *Supplem. quæſt.* LXII. *art.* 1. *ad* 3. S. Thomas docet.

V. Quæſt. IV. *Cur Chriſtus ſolius fornicationis meminit in cauſſa divortii?* Reſp. Duæ aſſignari rationes ſolent. Una, quod fornicatio directe fidei coniugali, & ipſius matrimonii ſubſtantiæ adverſetur. Ceteræ crimina ſunt ſeparationis cauſſa omnibus ſocietatibus: ſervus a domino, filius a patre, frater a fratre, quando ex convictu, & cohabitatione imminet grave periculum hæreſis, ſubverſionis ad malum, percuſſionis &c. ſeparari valent. At propter fornicationem nec



filius patrem, nec famulus dominum dimittere valet. Altera ratio eſt, quia propter adulterium divortium perpetuum fieri poteſt, ſecus ob alia crimina. Chriſtus de divortio perpetuo loquitur in Evangelio, quia conſentanee ad interrogata Phariſæorum reſpondet. Iudæi autem in more habebant libellum repudii, quod erat perpetuum. Non licere autem hoc perpetuum divortium, niſi fornicationis cauſſa, Chriſtus reſpondit. Si de aliis criminibus coniux pœnitentiam agat, & ſerio reſipiſcat, innocens tenetur pœnitentem acceptare. Propter adulterium autem in perpetuum negare debitum poteſt.

VI. Quæſt. V. *Quot ſunt caſus in quibus ob fornicationem licitum divortium non eſt?* Reſp. Septem S. Thomas in *Suppl. quæſt.* LXII. *art.* 1. aſſignat. 1. Maritus non poteſt ab uxore fornicante ſeparari, ſi ipſe ſimiliter fornicatus ſit. 2. ſi ipſe uxorem proſtituerit. 3. ſi uxor, probabiliter virum ſuum mortuum credens, propter longam eius abſentiam, alteri nupſerit. 4. ſi latenter cognita ab alio fuerit, ſub ſpecie viri lectum ſubintrante. 5. ſi fuerit vi oppreſſa. 6. ſi adulterii conſcius uxorem recognovit carnaliter. 7. ſi matrimonio in infidelitate contracto, vir dederit uxori libellum repudii; & uxor alteri nupſerit: tunc, ſi uterque convertatur, tenetur eam vir recipere. Tunc enim vir cauſſam præberet uxori fornicandi, ſi debitum pertinaciter denegaret; & ob hanc fornicationis cauſſam dimittere eam nequit. Si autem poſt pœnitentiam, & mutuam reconciliationem uxor perſeveret in adulterio, dimitti ab altero poteſt.

VII. Quæſt. VI. *Quid nomine fornicationis intelligatur?* Reſp. Omnis illicitus concubinatus. Quare S. Thomas in *Suppl. qu.* LXII. *art.* 1. *ad* 4. docet ſodomiam iuſtam eſſe divortii cauſſam.

VIII. Quæſt. VII. *Voluntas adulterandi, tactus, oſcula, amplexus, pollutio ſunt ne divortii cauſſa?* Reſp. Quod ſola voluntas adulterandi non ſufficiat ad divortium, certum eſt. Probabilior ſententia eſt, non ſufficere amplexus, oſcula, tactus impudicos cum animo adulterandi. Ad pollutionem cum tertia perſona habitam quod attinet, non videtur cauſſa ſufficiens divortii perpetui: quia non eſt carnis diviſio. Si vir cum uxore pollutionem perpetret, ipſa renuente: hæc ſeparare ſe poterit, donec reſipiſcat, ut peccatum declinet.

IX. Quæſt. VIII. *An copula naturalis abſque ſeminis effuſione intra vas ſit ſufficiens divortii cauſſa?* Reſpond. Negant Leander, Sanchez, Filliucius, Caſtropalaus, & alii. Sed contraria ſententia communis, & vera eſt, quam, teſte Leandro, defendunt S. Thomas, S. Bonaventura, Durandus, Paludanus, Soto, Ledeſma, Vega, Sylveſter, Bonacina, Henriquez, & alii plures.

X. Quæſt. IX. *An detur compenſatio, ſi coniugum alter adulteretur, alter ſodomiam, aut beſtialitatem committat?* Reſp. Adfirmans ſententia probabilior eſt. Nam ſodomia crimen ſufficiens eſt ad divortium. Ergo ſicuti dum ambo coniuges fornicationis rei ſunt, datur mutua compenſatio; ita admittenda eſt compenſatio, quando alter ſodomiæ, alter adulterii reus eſt.

XI. Quæſt. X. *An coniux qui unum adulterium patravit, poſſit diſcedere ab altero qui plures adulteravit?* Reſp. Adfirmant nonnulli Canoniſtæ, quos citat Leander *qu.* XVI. Sed hæc opinio communiter improbatur. Quia cauſſa divortii adulterium eſt, non adulteriorum multitudo. Unico adulterio fides frangitur. Repetita adulteria crimina multiplicant. At iuta fidei fractionem ſpectant.

XII. Quæſt. XI. *An coniux ſecretus adulter, poſſit petere divortium a coniuge adultero publico?* Reſp. Sententia negans communis, & vera eſt. Quoniam divortium conceditur in pœnam rei, & in favorem innocentis. Qui ſecreto adulterat, revera reus eſt. Ergo petere divortium nequit. Diſputant vero Auctores, peccet ne venialiter adulter occultus petens divortium ab adultero publico, an mortaliter? Pugnant in utramque partem. Verum probabilior ſententia videtur hunc peccare mortaliter. Nam ſi cauſſa iuſta petendi divortii deeſt, ſicuti deeſſe communis ſententia adfirmat, læditur ius alterius coniugis in re graviſſima. Ergo culpa gravis eſt.

XIII. Quæſt. XII. *An coniux innocens negare debitum poſſit coniugi adultero ante ſententiam iudicis?* Reſp. Adfirmat communis ſententia, dummodo coniux innocens certus moraliter ſit de perpetrato adulterio. Quoniam coniux reus per adulterium ius amiſit petendi debitum. Ergo iuſte illud negare innocens valet. Si tamen innocens coniux per iudicis præceptum, aut excommunicationem compellatur reddere, tum parere deberet, ut graviores Theologi docent.

XIV. Quæſt. XIII. *An coniux innocens poſſit propria auctoritate ante iudicis ſententiam a coniuge adultero diſcedere?* Reſp. Adfirmat Leander *qu.* XL. ubi citat Laymanum, Bonacinam, Villalobosium, & alios. Sed ſen-

ſententia negans communis, & vera eſt, quam docet S. Thomas in *IV. diſt.* xxxv. *quæſt. unic. art.* 3. eique ſubſcribunt graviores Theologi. Si enim in arbitrio coniugum poſita divortia eſſent, innumera conſequerentur abſurda. Præterea contractus publicus nonniſi auctoritate publica reſcindi poteſt. Et quamvis in divortio non diſſolvatur matrimonii vinculum, reſcinditur tamen cohabitationis contractus.

XV. Quæſt. XIV. *Obſtringitur ne coniux divortium cum uxore adultera facere?* Reſp. Tenetur, niſi reſipiſcat; ut ex Scriptura colligitur. *Prov.* xvii. dicitur: *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius.* Item cap. Si vir de adulteriis hæc præſcribuntur. *Si vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps.* Rurſus cap. *Si quis uxorem* xxxii. quæſt. i. maritus qui cum uxore adultera cohabitaverit, tribus annis pœnitentiæ ſubiicitur. Si tamen reſipiſcat, & pœnitentiam egerit, poterit eam recipere. Adulterium perpetui divortii cauſſam præbet: neque innocens abſolute uxorem adulteram recipere tenetur. Tamen debito honeſtatis & caritatis tenetur quandoque iuri ſuo cedere; ut ſi dimiſſa, peracta pœnitentia, in magno damnationis periculo verſaretur non revocata. En S. Auguſtini *Lib. II. de adult. coniug. cap.* vi. verba. *Quod autem tibi durum videtur, ut poſt adulterium reconcilietur coniugi coniux, ſi fides adſit, non erit durum* ... *Hæc crimina in veteri Dei lege nullis ſacrificiis mundabantur, quæ in novo teſtamento in ſanguine Chriſti mundantur: & ideo tunc omni modo prohibitum eſt ab alio contaminatam viro recipere uxorem; quamvis David Saulis filiam, quam pater eiuſdem mulieris ab eo ſeparatam dederat alteri, tamquam novi teſtamenti præfigurator ſine cunctatione receperit. Nunc autem poſtquam Chriſtus ait adulteræ:* Nec ego te condemnabo: vade, deinceps noli peccare: *quis non intelligat, debere ignoſcere maritum, quod videt ignoviſſe Dominum amborum, nec iam ſe debere adulteram dicere, cuius pœnitentis crimen divina credit miſeratione deletum?*

XVI. Convenit penes omnes, non eſſe eamdem in uxore obligationem viri dimittendi; Uxor enim in adulterium viri conſentire non præſumitur, cum impedire illud nequeat. Neque enim mulier corripere, & coercere virum, ſicut vir mulierem poteſt. Præterea non eadem incommoda imminent cohabitationi uxoris cum viro adultero, nempe incertitudo prolis, & falſi hæredis ſucceſſio. Et tandem perquam raro maritus adulter ex ſeceſſione uxoris corrigitur. *Si tamen ex divortio* mariti adulteri probabilis correctionis ſpes haberetur, tunc uxor innocens diſcedere ab eo deberet. Deſiderium prolis ſuſcipiendæ interdum efficere poteſt ut divortium mariti correctioni inſerviat.

XVII. Quæſt. XV. *Uter coniux gravius peccet?* Reſpond. Duo ſunt in adulterio crimina, impudicitiæ, & iniuſtitiæ. Si impudicitia ſpectetur, gravius eſt in viro quam in muliere adulterium, inquit *Lib. II. de adulterinis coniugiis cap.* viii. S. Auguſtinus. *Sed cum eis dicimus, non ſolum nihil volunt detrahere ſeveritati, ſed iraſcuntur inſuper veritati, & loquuntur, atque reſpondent: Sed nos viri ſumus. An vero ſexus noſtri dignitas hanc ſuſtinebit iniuriam, ut cum aliis feminis præter uxores noſtras, ſi quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quaſi non propterea magis debeant illicitas concupiſcentias viriliter frenare, quia viri ſunt; quaſi non propterea magis debeant mulieribus ſuis ad virtutis huius exemplum ſe præbere, quia viri ſunt; quaſi non propterea minus debeant a libidine ſuperari, quia viri ſunt; quaſi non propterea minus debeant laſciventi carni ſervire, quia viri ſunt. Et tamen indignantur, ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris feminis pœnas; cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere feminas. Chriſtianis equidem loquor, qui fideliter audiunt:* Caput mulieris vir: *ubi ſe agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere. Ideo cavendum viro illac ire vivendo, qua timet ne uxor ſequatur imitando. Sed iſti quibus diſplicet ut inter virum & mulierem par pudicitiæ forma ſervetur .... legant quid Imperator Antoninus, non utique Chriſtianus, de hac re conſtituerit &c.*

XVIII. Ad iniuſtitiam quod attinet, uxor adultera longe ſceleſtius crimen perpetrat: quia & proli, cuius incertum patrem efficit, & marito, cui incertum heredem ſubſtituit, iniuriam, & detrimentum maximum irrogat. Tandem in communi exiſtimatione vir ex mulieris adulterio ſumma reſpergitur infamia, & cornutus appellatur; femina vero ex viri adulterio vix famæ læſionem patitur. Quamobrem in adulterium uxoris ſeverius animadvertunt civiles leges.





# DISSERTATIO II.

## *DE SPONSALIBUS.*

### CAPUT I.

*Quid ſint ſponſalia, & quæ eorum conditiones.*

I. QUæſt. I. *Quomodo definiantur ſponſalia?* Reſp. Sponſalia interdum pro rato matrimonio uſurpantur. Quare duo ſponſalium genera a Scriptoribus accipiuntur: alia de præſenti, quibus ius in proprium corpus alteri alter permittit: alia de futuro, quibus nulla fit actualis donatio, ſed mera promiſſio. Hæc promiſſio arrhis & munuſculis confirmari ſolet: & hæc dona ſponſalia quoque appellari conſueſcunt. Sponſalia a verbo *ſpondeo* ſuam repetunt originem.

II. Verum his miſſis, uſus obtinuit ut ſponſalium nomine, de quibus in præſentia ſermo eſt, intelligatur promiſſio de futuro matrimonio. Sponſalia hæc ſic definiuntur. *Futuri matrimonii promiſſio mutua, & libera, externis ſignis expreſſa obligationem pariens.* Dicitur *mutua*, quia una pars non præſumitur ſe velle obſtringere, niſi altera pars acceptet, & repromittat. *Libera*, ut intelligatur excluſa coactio, & gravis metus. *Signis externis expreſſa*. Hæc particula ſignificat non ſufficere actus internos, ſed debere externis verbis, aut ſignis promiſſionem manifeſtari. *Obligationem pariens*. Duplicem pariunt obligationem ſponſalia, naturalem, & canonicam. Iure quippe naturali ſtare quiſque promiſſis legitimis & acceptatis tenetur ſub peccato mortali, ſi materia gravis ſit. Sponſalia autem ſunt in materia graviſſima: propterea peccat, & quidem graviter, qui ſine cauſſa ab iiſdem reſilit, ut docet S. Thomas in *IV. diſt.* xxvii. *art.* 1. Canonica obligatio impedimentum publicæ honeſtatis inducit, qua ſponſi inhabiles fiunt ad contrahendum cum alterutrius conſanguineis, & affinibus in primo gradu.

III. Diſputant recentiores, an contrahi ſponſalia ſub obligatione tantum veniali poſſint. Affirmant Sanchez. Sed hæc opinio falſa eſt. Utique promittere ſibi poſſunt ſub pœna amittendi arrhas, & etiam ſub nulla obligatione, vel ſub obligatione veniali tantum; ſed hæc non eſſent ſponſalia, ſed arbitrariæ promiſſiones: ſponſalia enim contracta iuxta ritum Eccleſiæ, contrahendi futuri matrimonii inducunt gravem obligationem, & impedimentum publicæ honeſtatis.

IV. Quæſt. II. *An promiſſio facta abſenti ante eius acceptationem obliget?* Reſp. Sententia negans vera eſt. Nulla quippe promiſſio gratuita abſolute obligat ante acceptationem. Quare licite revocari ante acceptationem poteſt quæcumque promiſſio futuri matrimonii.

V. Quæſt. III. *Sufficit ne ad valorem ſponſalium acceptatio promiſſionis ſine repromiſſione alterius partis?* Reſp. Alii affirmant, negant alii. Et ſententia negans mihi probabilior eſt. Acceptatio enim alterius fidei datæ non eſt obligatio propriæ. Ad valorem itaque ſponſalium requiritur mutua promiſſio. Quare qui promiſit, reſilire a promiſſione acceptata poſſet, quando facta non fuiſſet repromiſſio. Invalida quippe eſſent tunc ſponſalia. Si invalida, ergo nullam pariunt obligationem. Utique a promiſſione acceptata recedi nequit, quando altera pars repromittit. At ſi pars non repromittit, nulla ſponſalia ſunt: quia ad iſtorum valorem neceſſaria repromiſſio eſt.

VI. Salmanticenſes *tract.* ix. *cap.* i. *punct.* 2. *n.* 15. duas ſuper hac difficultate referunt ſententias. Prima contendit, ſtare non poſſe acceptationem ſine repromiſſione ſaltem implicita. Altera negat, in acceptatione includi repromiſſionem. Huic adhærent illi; ſed utramque probabilem vocant, & in praxi tutam. Verum ſi una eſt vera, altera falſa eſt. Ergo utraque in praxi tuta eſſe nequit. Sola ergo veriſimilior, quæ eſt ſecunda, amplectenda eſt. Falſum eſt quod ibidem *n.* 19. & 20. ſubdunt Salmanticenſes, nempe promittentem manere obligatum vi promiſſionis acceptatæ. Utique in alia quacumque materia promiſſio acceptata obligat. At cum natura ſponſalium eſſentialiter ſita ſit in promiſſione mutua, quoties deeſt mutuus conſenſus, ſponſalia nulla ſunt, ut diximus ſupra. Ergo nullum obligationis vinculum. Nec eſt quod reponas, manere obligationem vi promiſſionis ſimplicis factæ, & acceptatæ. Nam